



Dv 1220³




6423










Pharmacopoea

Fennica.

Editio tertia.

Helsingforsiae,
sumptibus bibliopolae G. V. Edlund.
MDCCLXIII.



PHARMACOPOEA FENNICA.

EDITIO TERTIA.

HELSINGFORSIAE,

EX OFFICINA HAEREDUM J. SIMELII TYPOGRAPHICA

et SUMPTIBUS BIBLIOPOLAE G. W. EDLUND.

MDCCLXIII.

PHARMACOLOGIA ANATOMICA

EDITIO TERTIA

LEIPZIG 1848
VERLAG VON LEOPOLD VEBER
BIBLIOPOLYGRAPHEN
LEIPZIG

C
m
ti
q
in
in
li
cu
ve
pe
fu
da
te
ei
se
m
tu

Praemonenda.

De medicamentis.

Copia medicaminum et simplicium et compositorum in Pharmacopoeam relatorum in pharmacopolio quovis, ad consumptionem accommodata, venalis prostet, exceptis tantum illis, quae ex tempore parari iussa fuerint.

Medicamina simplicia, vel apud nos collecta vel peregre importata, optima sui generis sint oportet. Quod quidem etiam in praeparata chemica, quae de officinis chemicis coëmere licet, omnino valet.

Plantae indigenae non nisi sponte crescentes, nec umquam cultae, usui medico vel pharmaceutico sunt adhibendae.

Omnes partes plantarum, diebus serenis et quando a rore vel pluvia madefactae non sint, quotannis colligentur eo tempore, quo maxima vi medica seant. Postquam repurgatae fuerint in stratis tenuibus loco aëri pervio sub umbra siccandae sunt et quidem succosae ope caloris modici, ceterae autem ad ordinariam aëris temperaturam. Siccatae in loculis, cistulis aut doliis, suo quibusque operculo tectis, loco arido servantur.

Radices tempore vel autumnali, foliis delapsis aut herba marcida facta, vel vernali, foliis nondum explicatis, colliguntur. Ablutae et, quando sint crassiores, fissae siccantur.

Cortices et Ligna colliguntur tempore vernali ante frondescentiam et ad temperaturam ordinariam siccantur.

Herbae et Folia in genere paullo ante florescentiam, aromatica vero sub initio ejusdem colliguntur.

Flores et Summitates florentes, simul ac evoluta fuerint petala, decerpuntur.

Semina ubi maturuerint, necdum sponte deciderint, sunt colligenda.

Lichenes tempore autumnali, perfecte evoluti, colliguntur.

Vegetabilia *Narcotica*, e plantis sponte crescentibus tantummodo colligenda, et *Aromatica* in vasis vitreis vel fictilibus bene oclusis aut in cistulis operculo stricte claudente praeditis servantur.

Si medicamentum, quod et crudum et depuratum in officina pharmacopolica prostat, praescripserit medicus, nulla addita horum distinctione, ex. gr. Sal anglicum, Sal Glauberi, Sal ammoniacum, cet., depuratum semper dispensetur.

Ita quoque si medicamentum, ejus adsunt plures gradus concentrationis, simpliciter praescriptum fuerit, dilutius semper dispensetur; sic ex. gr. Acidum sulphuricum, nisi vocabulum *concentratum* in formula additum sit, *dilutum* est dispensandum.

Extracta pulverata tantummodo in pulveribus miscendis, vel ubi extracta humida difficultates paritura essent, adhibentur et, nisi expresse significatum fuerit eadem pulverata esse debere, ad triplum pondus praescriptae quantitatis dispensantur. Extractum enim pulveratum tertiam partem extracti ejusdem nominis humidi continet.

Venena seorsim a ceteris medicamentis et in armario obserato servanda sunt.

Venena et cetera medicamenta *heroica* dicta privatis numquam dispensentur nisi ad certum usum (internum aut exter-

num) praescripta et, si usui interno adhibenda sint, in dosibus praefinitis, nec nisi jubente medico vel permissu Superiorum. — Si ad usum internum dosis major, quam quae in tabula insequente exstat, a medico praescripta fuerit, non est dispensanda, nisi hic verba *dosis magna* formulae adscripserit.

Quae usui interno adhibenda sunt medicamenta signatura chartae albae, externo autem inservientia signatura chartae coloratae praedita et Venena vel medicamenta heroica semper sigillo nigro munita dispensentur.

De Instrumentis.

In temperatura determinanda Thermometrum centigraduum vel Celsianum, secundum quod omnes in Pharmacopoea caloris gradus definiti sunt, semper est adhibendum.

Gravitas specifica liquidorum ad temperaturam $+15^{\circ}$ est determinata, ideoque etiam ad eandem est exploranda.

Araeometrum liquidorum aqua graviorum unum, leviorumque alterum, cum thermometro et vase vitreo cylindrico ad eadem pertinentibus, in officina quaque praesto sint oportet.

Praeter libras ceteras necessarias semper quoque adsit libra ita mobilis, ut grani pars octava in eadem accuratissime ponderari possit. Pondera ad ipsam adhibenda platinea sint et accuratissima haec: granorum decem, quinque, duorum, grani unius, partis grani dimidia, tertiae, quartae, sextae et octavae.

Quantitates materialium et medicaminum ponderatione semper sunt determinandae, exceptis illorum, quae guttatim praescripta fuerint.

De Mensuris et Ponderibus.

Pedis Fennici (vel *Svecici*) talis est ratio, ut pendulum simplex, quod in Specula Astronomica Helsingforsiensis per

nycthemerum medium solare 86400 oscillationes consummat, ad spatium aëre vacuum et mediam superfiei marinae altitudinem calculo revocatum, longitudine sit pedum istiusmodi 3,351006.

Pes igitur seu ulna dimidia = 10 pollic. decim. = 100 lin. decim. aequalis est metri gallici 0,29690 = lin. par. 131,61. Metrum itaque gallicum pedes fennicos 3,36815 aequat. — Pollex duodecimalis (werftum), pedis pars duodecima, aequalis est metri gall. 0,024742 = lin. par. 10,968.

Mensura liquidorum est *Congius* s. *Cantharus* (Kanna), pedis cubici parti decimae seu pollicibus decim. cubicis centum aequalis. Dividitur in semicongios (støp) duos, quartarios (qwarter) octo, modiolos (jungfrur) triginta duos.

Congius aequalis est Litris gallicis 2,617.

Libra medicinalis Fennica eadem est, qua utuntur Hamburgenses, Dani et Holsati (libra Norimbergica), et solito modo in uncias, drachmas, scrupulos et grana partitur.

Libra, uncias duodecim continens, aequalis est grammatis gallicis 357,66391 sive 0,84149 librae civilis Fennicae.

Uncia drachmas octo continet et aequalis est grammatis gallicis 29,80532 sive librae civilis 0,07012 (= 2 lod 0,976 qwint.)

Drachma continet scrupulos tres et grammata gallica 3,72567 vel librae civilis 0,0087655 (1,122 qwint.) aequat.

Scrupulus, continens grana viginti, grammati gallico 1,24189 sive librae civilis 0,0029218 (0,374 qwint.) aequalis est.

Granum grammatis gallici 0,06209 vel librae civilis 0,0001461 (0,0187 qwint.) est aequale.

Libra Civilis (stål pund) victualium aequalis est grammatis gallicis 425,0369 et dividitur in semuncias (lod) triginta duas atque unaquaeque harum in drachmas (qwintin) quatuor.

Gramma gallicum aequale est granis 16,10451 sive librae civilis 0,00235 (= 0,07526 lbd). Kilogramma (1000 grammata) igitur libras medicinales 2,79592 vel libras civiles 2,35274 aequat.

Pondus Congii aquae destillatae, aëre atmosphaerico saturatae, ad temperaturam $+ 4^{\circ}$ C. et aquae et aëris, atque altitudinem hydrargyri in barometro 25,6 pollicibus decimal. aequalem ad temperaturam 0° C. computatione reductam, est Librarum civilium 6,15221 et Librarum medicinalium 7,31110.

nat,
alti-
odi
100
par.
ae-
ode-
pe-
tum
ta-
s.
bur-
odo
ma-
nati-
,976
llica
24189
01461
nati-
inta
uat-

Index Venenorum

in armariis obseratis seorsim servandorum.

*Acidum arsenicosum.**Chloretum hydrargyricum corrosivum.**Chloretum morphicum.**Jodetum hydrargyricum rubrum.**Liquor Arsenitis kalici.**Liquor Chloreti morphici.**Morphium.**Nitras strychnicus.**Opium.**Oxidum hydrargyricum.**Phosphorus.**Strychnium.**Sulphas atropicus.**Valerianas atropicus.**Veratrium.*

Tabula

quantitatem maximam medicamentorum heroicorum adultis interne
pro dosi dispensandam exhibens.

<i>Acetas plumbicus</i>	Grana duo.
<i>Aqua Amygdalarum amar. concentr.</i>	Drachma dimidia.
<i>Acidum arsenicosum</i>	Grani pars duodec. (gr. $\frac{1}{12}$).
<i>Cantharides pulveratae</i>	Granum unum.
<i>Chloretum hydrargyricum corrosivum</i>	Granum dimidium.
<i>hydrargyrosium mite</i>	Grana quinque.
(ut laxans)	Scrupulus unus.
<i>morphicum</i>	Granum dimidium.
<i>Creosotum</i>	Granum dimidium.
<i>Elaterium album</i>	Grani quadrans (gr. $\frac{1}{4}$).
<i>Emulsio hydrocyanica</i>	Grana quadraginta quinque.
<i>Extractum Aconiti</i>	Granum unum.
<i>Belladonnae</i>	Granum dimidium.
<i>Conii</i>	Granum dimidium.
<i>Hyoscyami</i>	Granum unum.
<i>Nicotianae</i>	Granum dimidium.
<i>Nucis vomicae spirituosum</i>	Granum unum.
<i>Opii</i>	Grana duo.
<i>Stramonii</i>	Granum dimidium.
<i>Folia Belladonnae pulverata</i>	Grana duo.
<i>Nicotianae pulverata</i>	Grana quattuor.
<i>Gummi-resina Gutta</i>	Grana quattuor.
<i>Scammonium aleppense</i>	Grana duo.

<i>Herba Sabinæ pulverata</i>	Grana decem.
<i>Jodetum hydrargyricum rubrum</i>	Grani quadrans (gr. $\frac{1}{4}$).
<i>hydrargyrosus</i>	Granum unum.
<i>Jodum</i>	Granum dimidium.
<i>Kermes minerale</i>	Granum unum.
<i>Liquor Nitratis hydrargyrosi</i>	Guttae tres.
<i>Morphium</i>	Grani triens (gr. $\frac{1}{3}$).
<i>Nitras argenticus fusus</i>	Granum unum.
<i>strychnicus</i>	Grani pars octava (gr. $\frac{1}{8}$).
<i>Nux vomica pulverata</i>	Grana quattuor.
<i>Oleum Crotonis</i>	Gutta una.
<i>Opium pulveratum</i>	Grana duo.
<i>Oxidum hydrargyricum</i>	Granum dimidium.
<i>hydrargyrosus</i>	Grana quattuor.
<i>Phosphorus</i>	Grani quadrans (gr. $\frac{1}{4}$).
<i>Radix Belladonnae pulverata</i>	Granum unum.
<i>Hellebori albi pulverata</i>	Grana quinque.
<i>Secale cornutum pulveratum</i>	Grana decem.
<i>Semina Stramonii pulverata</i>	Grana quattuor.
<i>Strychnium</i>	Grani pars octava (gr. $\frac{1}{8}$).
<i>Sulphas atropicus</i>	Grani pars sexagesima (gr. $\frac{1}{60}$).
<i>cupricus</i>	Grana tria.
<i>zincicus</i>	Grana quinque.
<i>Tartras stibico-kalicus</i>	Grana quinque.
<i>Valerianas atropicus</i>	Grani pars sexagesima (gr. $\frac{1}{60}$).
<i>Veratrium</i>	Grani quadrans (gr. $\frac{1}{4}$).

Computatio

exhibens quantitates partium efficaciorum in medicaminibus
quibusdam praeparatis.

Acidum phosphoricum dilutum.

Drachma ejus continet

Acidi phosphorici anhydri grana fere quattuordecim.

Amygdalinum.

E granis ejus septemdecim cum quantitate sufficiente E-
mulsionis amygdalarum generatur

Acidi hydrocyanici anhydri granum unum.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

Uncia ejus continet

Acidi hydrocyanici anhydri granum dimidium (gr. $\frac{1}{2}$).

Emulsio hydrocyanica.

Uncia ejus continet

Acidi hydrocyanici anhydri grani fere tertiam partem.

Enema Opii.

Uncia ejusdem continet

Opii grani duos trientes (gr. $\frac{2}{3}$).

Extractum Colocythidis compositum.

Grana ejus septem continent

Extracti Colocythidis grani dodrantem (gr. $\frac{3}{4}$),

Gummi-resinae Scammonii grana duo,

Aloës grana quattuor.

Hydrargyrum cum Creta.

Grana ejus quattuor continent

Hydrargyri granum cum dimidio (gr. $1\frac{1}{2}$).

Jodetum ferrosun saccharatum.

Grana ejus sex continent

Jodeti ferrosi granum unum cum quadrante, seu *Jodi* granum unum.

Liquor Arsenitis kalici.

Ejus drachma continet

Acidi arsenicosi granum dimidium.

Liquor Chloreti morphici.

Grana ejus decem continent

Chloreti morphici grani trientem (gr. $\frac{1}{3}$).

Liquor Nitratis hydrargyrosi.

Drachma ejus continet

Nitratis hydrargyrosi grana circiter sex.

Mixtura hydratis ferrici et magnesici.

Unciae ejus novem continent circiter

Hydratis ferrici drachmam unam cum dimidia

Hydratis magnesici drachmas duas cum granis quinquaginta quinque

Sulphatis magnesici drachmas quinque cum granis triginta octo.

Pilulae Chloreti hydrargyrici corrosivi.

Unaquaeque earum continet

Chloreti hydrargyrici corrosivi grani partem octavam (gr. $\frac{1}{8}$).

Pilulae Colocynthidis compositae.

Quinque earum continent

Extracti Colocynthidis compositi grana circiter quinque cum dimidio (gr. $5\frac{1}{2}$),

Chloreti hydrargyrosi mitis grana circiter duo,

Resinae Jalappae granum unum cum dimidio.

Pilulae Hydrargyri.

Quaeque earum continet

Hydrargyri granum dimidium.

Pilulae Nitratis argentici.

Quaeque earum continet

Nitratis argentici fusi grani partem sextam.

Pulvis Jalappae hydrargyratus.

Serupulus ejus continet

Chloreti hydrargyrosi mitis grana quinque,

Radicis Jalappae grana quindecim.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Grana ejus decem continent

Opii granum unum,

Radicis Ipecacuanhae granum unum.

Pulvis Ipecacuanhae stibiatus.

Serupulus ejus continet

Tartratis stibico-kalici grana duo,

Radicis Ipecacuanhae grana decem.

Syrupus Hydrargyri.

Drachma ejus continet

Hydrargyri puri granum fere sesquialterum (gr. $1\frac{1}{2}$).

Syrupus Jodeti ferrosi.

Serupulus continet

Jodeti ferrosi granum unum sive *Jodi* grani quintas partes quattuor (gr. $\frac{4}{5}$).

Syrupus opiatus.

Uncia ejus continet

Opii granum dimidium.

Tinctura Belladonnae.

Serupulus ejus continet *extractum spirituosum* e

Foliorum Belladonnae granis tribus cum triente (gr. $3\frac{1}{3}$).

Tinctura Cantharidum.

Drachma ejus continet *extractum spirituosum* e

Cantharidum granis quinque.

Tinctura Castorei.

Drachma ejus dimidia continet *extractum spirit.* e
Castorei granis tribus cum dodrante gr. $3\frac{3}{4}$).

Tinctura Colocythidis.

Serupulus ejus continet *extractum spirituosum* e
Fructus Colocythidis granis duobus.

Tinctura Digitalis.

Serupulus ejus continet *extractum spirituosum* e
Foliorum Digitalis granis tribus cum triente (gr. $3\frac{1}{3}$).

Tinctura Jodi.

Drachma ejus continet
Jodi grana quinque.

Tinctura Opii.

Grana ejus decem continent solubile ex
Opii grano uno.

Tinctura Opii crocata.

Grana ejus decem continent solubile ex
Opii grano uno.

Valerianas atropicus saccharatus.

Grana ejus duo continent
Valerianatis atropici grani partem sexagesimam (gr. $\frac{1}{60}$).

Vinum Opii crocatum.

Drachma ejus continet solubile ex
Opii grano uno.

Vinum stibiatum.

Drachma ejus continet
Tartratis stibico-kalici grani quadrantem (gr. $\frac{1}{4}$).

Acetas cuprieus.

Aerugo crystallisata.

Acetas kalicus.

Terra foliata Tartari.

Carbonatis kalici depurati unciæ sex

solvuntur in

Aquæ destillatæ unciis sex;

liquor minutatim, sub agitatione,

Acidi acetici unciis sedecim

infunditur, et solutio, in patina porcellana ad residuum librae unius et dimidiæ evaporata, loco frigidiusculo seponitur; dein vero post nycthemerum filtrata et ope Acidi acetici neutralis reddita, in leni calore, continue agitata, evaporatione ad siccitatem redigitur. Si vero specimen pulveris hujusce in aqua totum non solvitur, denuo aquæ destillatæ aequali pondere perfunditur massa sicca, et solutio filtrata iterum ad siccitatem sub agitatione evaporat. In vase vitreo bene obturato servatur.

Acetas natrieus venalis.

Natrum aceticum.

Acetas plumbicus depuratus.

Saccharum Saturni depuratum

Acetatis plumbici venalis unciæ tres

solvuntur in

Aquae destillatae fervidae libra una,
admiscendo

Acidi acetici drachmas duas.

Solutio, postquam eidem per quattuor horas laminae aliquot plumbeae nitidae immersae fuerint, filtratur et in balneo vaporis ad residuum unciarum sex exhalata loco frigidiusculo ad crystallisandum seponitur. Crystallis sublatis, lixivio dequo adduntur

Acidi acetici drachmae duae

et evaporatio, dum crystalli coloris expertes concresecunt, repetitur. Crystalli, inter plagulas chartae bibulae saepius mutatas siccatae, in vase vitreo bene obturato servantur.

Acetas plumbicus venalis.

Saccharum Saturni.

Acetum aromaticum.

Acetum prophylacticum.

Caryophyllorum,

Florum Lavandulae,

Herbae Absinthii,

Herbae Menthae piperitae,

Radicis Zingiberis,

Summitatum Millefolii, singulorum drachmae quattuor,

Aceti Vini ad ebullitionem calefacti librae septem cum dimidia et

Acidi acetici libra dimidia

commixtae macerantur per dies quattuor. Humori deinde expresso, nec non lactis recentis ope clarificato et filtrato, adduntur

Spiritus Rosmarini unciae quattuor.

In lagena vitrea bene obturata et in cella servatur.

Acetum camphoratum.

Camphorae depuratae grana duo

soluta in

Spiritus Vini rectificatissimi drachmis duabus

admiscetur

Aceti Vini drachmis sex.

Ex tempore paratur.

Acetum commune.**Acetum Sicerae.****Acetum Scillae.**

Radicis Scillae concisae pars una,

Aceti Vini ad ebullitionem calefacti partes undecim,

Acidi acetici pars una

commixtae per octiduum macerantur. Tum humor expressus et, quando subsederint faeces, filtratus in vitro clauso in cella servatur.

Acetum Vini.**Acidum aceticum.**

Acetas natricus venalis,

caute in calore, quo fieri potest lenissimo, aqua crystallina omnino privatus deindeque liquefactus, post refrigerationem in

Aquae destillatae pondere triplo

solvitur, et solutio filtrata ad crystallisationem evaporat.

Crystallorum ita paratarum siccarum librae tres

in retortam vitream satis capacem immissae perfunduntur

mixtione ex

Acidi sulphurici puri libris duabus et
Aquae destillatae libra una,

cavendo ne collum retortae his inquinetur. Retorta, balneo arenae imposita, excipulo non plane clauso et probe refrigerando munitur, fitque destillatio, donec unciae tres et triginta transierint. Liquor destillatus, exploratione puritatis ejusdem facta et, si Acidum sulphurosum continuerit, supra.

Superoxidi manganici unciam,

sin autem Acidum sulphuricum vel hydrochloricum, supra.

Acetatis kalici unciam,

rectificatus, diluitur

Aquae destillatae unciis circiter novem

vel ea quantitate, ut pondus ejus specificum sit 1,04 et uncia una ejusdem ad Carbonatis natrici depurati crystallisati drachmas sex saturandas juste sufficiat.

Servatur in lagena epistomio vitreo depolito clausa.

Acidum aceticum dilutum.

(*loco Aceti destillati.*)

Acidi acetici uncia una et

Aquae destillatae unciae quinque

commixtae in vase vitreo optime clauso servantur.

Acidum arsenicosum.

Arsenicum album.

Acidum benzoicum.

Flores Benzoës.

Resinae Benzoës grossiuscule pulveratae libra una

sartagini ferreae planae, octo vel novem pollices latitudine,

duos vero altitudine aequanti, aequaliter insternitur, usque quo sartago ad dimidias repleta sit. Supra marginem sartaginis charta bibula alba expansa glutine amylaceo agglutinatur, et cylindrus tectus, e charta densioris texturae glutinis ope confectus, duodecim pollices altus, firmo funiculo ad margines sartaginis strictè alligatur. Sartago, laminae ferreae strato arenae tenui tectae imposita, leni et aequali igne per sex horas fovetur. Apparatu post refrigerationem subverso, e cylindro soluto crystalli depromuntur atque in vitro probe clauso servantur.

Acidum citricum.

Acidum gallotannicum.

Tanninum.

Gallarum aleppensium nigrarum grandius pulveratarum pars una laxè instipatur infundibulo separatorio, cujus tubi pars inferior lanugine gossypii oppleta obturamento subereo clauditur. Huic infunditur pars una et dimidia mixtionis ex

Aetheris rectificati voluminibus quattuor et

Spiritus Vini rectificatissimi volumine uno

paratae, quo facto infundibulum obturamento vel lamina vitrea superne quoque oclusum per horas viginti quattuor remanet. Tum obturamento inferiore remoto, pars superior apparatus aliquantum aperitur, ut liquor in vas idoneum vitreum vel porcellanum lente defluat. Operatione cum eadem quantitate mixtionis aetherae repetita, liquores obtenti commiscuntur, et vas eosdem continens balneo vaporis impositum detinetur donec, humore omni evaporato, massa restet sicca, quae pulverata in vase clauso servatur.

Acidum hydrochloricum purum.

Acidum muriaticum vel Salis.

Chloreti natrici venalis sicci librae quinque immittuntur in cucurbitam balneo arenae impositam adeo capacem ut, acido sulphurico addito, eadem nonnisi ad duos trientes repleatur, orificiumque ejus obturamento clauditur subereo cerato, cui inserti sunt duo tubi vitrei, securitati inserviens unus, alter vero deducens, flexus, cucurbitam cum lagena tribus tubulis instructa solito modo connectens, fundumque hujus paene adtingens. Tubulo medio lagenae hujusce, in quam

Aquae unciae octo

infunduntur, tubus vitreus rectus ad fundum quoque penetrans adaptatur, tubuloque tertio tubus inflexus deducens in alteram lagenam altiore[m] octo librarum capacem, cui immissae sunt

Aquae destillatae librae quattuor,

ita ut in hac superficiem tantummodo aquae aliquantulum subeat. Orificio cucurbitae ope luti probe clauso juncturisque omnibus firmiter compositis, per tubum securitatis causa adpositum in cucurbitam minutatim infunduntur

Acidi sulphurici crudi librae octo

Aquae libris duabus

antea dilutae; quo facto, balneum arenae sensim calefit, usque dum evolutio gasis cessaverit, lagena vero ultima simul bene refrigeratur. Acidum in hacce collectum, operatione finita, Aqua destillata diluitur, ita ut pondus ejusdem specificum sit 1,16, atque in lagena vitrea epistomio vitreo depolito bene clausa servatur.

Acidum hydrochloricum purum dilutum.*Acidi hydrochlorici puri* unciae duae et*Aquae destillatae* unciae tres

commiscentur. Servatur in lagena epistomio vitreo bene clausa.

Acidum hydrochloricum venale.**Acidum muriaticum crudum.**

Pond. specific. 1,17 — 1,18.

Acidum nitricum concentratum.**Acidum nitroso-nitricum.***Nitratis natrici venalis* librae quinque

perfunduntur

Acidi sulphurici crudi libris sex

in retorta adeo ampla, ut ejusdem tertiam tantummodo partem impleat mixtio, sedulo cavendo, ne quid salis vel acidi collo adhaerens remaneat. Retortae, balneo arenae impositae, excipulum, nullo adhibito luto, ita applicatur, ut ad mediam hujus partem intret orificium retortae, deindeque fit destillatio, calore primum lenissimo, paullatim vero aucto, donec residuum in retorta tranquille fluens nihil amplius gasis evolvat, excipulo sub tota operatione optime refrigerato. Destillatum in lagena vitrea, epistomio vitreo depolito bene obturata, loco frigidiusculo servatur.

Acidum nitricum purum dilutum.*Acido nitrico concentrato*

instillatur solutio

Nitratis argenticæ,

quamdiu istud inde turbatur. Mixtione per aliquot dies loco tenebroso seposita, liquor limpidus in retortam decanthatus fere ad siccum destillatur, quo facto destillatum

Aqua destillata

diluitur, ut fiat pondus ejusdem specificum 1,20. In lagena vitrea, epistomio vitreo depolito claudenda, loco obscuro servatur.

Acidum nitricum venale.

Aqua fortis.

Pond. specific. 1,22 — 1,23.

Acidum phosphoricum dilutum.

Acidi nitrici puri diluti libra una et

Phosphori uncia una

in retortam amplam tubulatam, cui excipulum laxè adaptatum fuerit, immissae, in balneo arenae leniter calefiunt, donec omnis phosphorus dissolutus sit, destillato, quod in excipulo condensatur, inde saepenumero in retortam per tubulum refuso. Liquor deinde in patina porcellana evaporatione consumitur, donec remaneant unciae circiter tres et,

Acido nitrico puro diluto

guttatim instillato, quamdiu hoc destruitur vel vapores Acidi nitrosi exhalantur, denuò evaporat, dum bacillum vitreum Liquore Ammoniaci caustici humectatum, eidem admotum, vapores albos non amplius procreaverit. Acido refrigerato et

Aquae destillatae unciis octo

diluto, gas sulphidi hydrici fortiter evolutum et in lagena media per aquam missum horae unius spatio inducitur, quo facto liquor per aliquot dies in loco calido tectus seponitur;

tum filtratus evaporat ad residuum unciarum quinque,
vel quamdiu odorem prodat sulphidi hydrici, ac denique
Aquae destillatae unciis circiter quinque
diluitur, seu ita ut denuo filtratus pondus obtineat specifi-
cum 1,16. In lagena vitrea epistomio vitreo depolito in-
structa servatur.

Acidum pyrolignosum crudum.

Acetum pyroxylicum.

Acidum succinicum crudum.

Sal Succini crudum.

Acidum succinicum depuratum.

Acidum succinicum crudum in
Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente
solvitur et solutio adhuc calida filtrata refrigerio ad cry-
stallisandum seponitur. Quantitate crystallorum augeri de-
sita, liquor decanthatus atque in balneo vaporis concentratus
ad crystallisationem iteratam cogitur. Crystalli collectae
lenique calore siccatae in vase bene clauso servantur.

Acidum sulphuricum crudum.

Acidum vel Oleum Vitrioli crudum.

Pond. specific. 1,80 — 1,84.

Acidum sulphuricum purum.

Acidi sulphurici crudi libris duabus
in retortam vitream adeo capacem, ut eadem ad trientem
tantum inde repleatur, infusis admiscetur
Acidi sulphurici crudi scrupulus unus,

Liquore Ammoniaci caustici antea saturatus. Retorta in balneum cineris subtiliter cribrati ita immergitur, ut undique sit cinere cooperta, fundusque ejusdem per stratum pollicis unius tantum altitudine a fundo balnei separetur. Cucurbita idonea laxè adaptata, ad ebullitionem lentam et aequabilem excalefaciendum est acidum, cujus cum octava pars transiverit, aliud excipulum bene siccatum et calefactum sine luto aut juncturis ita substituitur, ut collum retortae in medium ejus promineat, in quo acidum postea destillatum colligitur. Ubi in totum unciae fere viginti transierint, destillatio subsistat, atque acidum purum in lagena vitrea sicca et calefacta, epistomio vitreo depolito claudenda, mox ingestum servatur.

Acidum sulphuricum purum dilutum.

Acidi sulphurici puri uncia una
caute admisceetur, continue agitando,
Aquae destillatae unciis octo.

In lagena vitrea, epistomio vitreo depolito obturata, servatur.

Acidum tartaricum.

Sal essentielle Tartari.

Adeps suillus.

Axungia Porci.

Sus Scrofa LIN.

Adeps curatus.

Axungia curata.

Adeps suillus recens, a membranulis, vasis fibrillisque purgatus et in frustula concisus, lavatur aqua frigida, quamdiu haec inde colorem ducit. Deinde leni calore liquefactus per linteam exprimitur. Adeps ita mundatus cum

Balsami peruviani nigri drachmis duabus pro quavis libra ipsius denuo liquatur et, post exhalationem omnis humoris, colatus sub refrigeratione agitatur. In loco frigido servatur.

Aether aceticus.

Acetatis natrici venalis unciae viginti

leni calefactione in pulverem omnino siccum rediguntur.

Pulveris hujusce unciae duodecim

in cucurbitam immissae perfunduntur mixtione refrigerata

Acidi sulphurici crudi librae unius et

Spiritus Vini rectificatissimi unciarum novem

celeriterque conquassantur, et cucurbita balneo arenae imposita ope tubi vitrei, obturamento orificium ejusdem claudenti inserti, cum refrigeratorio idoneo connectitur. Horis viginti quattuor praeterlapsis, igne non admodum vehemente fit destillatio, usque dum unciae duodecim transierint.

Destillatum, cum addita

Acetatis kalici siccii uncia dimidia

conquassatum, aliquantisper seponitur, deindeque aether supernatans secernitur et supra

Magnesiae ustae drachmam unam

rectificatur. In vitris parvis, optime clausis, loco frigido servatur.

Aether nitrosus spirituosus.

Spiritus Nitri dulcis.

Acidi nitrici concentrati unciae sex

in retortam vitream capacem,

Spiritus Vini rectificatissimi libras duas

continentem, sensim sub agitatione infunduntur, et mixtio in balneo vaporis caute destillatur, donec in excipulum am-

plum, bene refrigerandum transierint unciae duodevigi-
ginti, quae supra

Tartratis kalici uncias duas

rectificantur. In parvis unius vel duarum unciarum capa-
cibus vitris omnino replendis beneque claudendis loco fri-
gido servatur.

Aether rectificatus.

Aether venalis

cum aequali volumine

Aquae communis,

cui admixtum fuerit

Calcis ustae tantum,

ut reactio acida aetheris inde tollatur, aliquoties conquis-
satus per horas viginti quattuor seponitur. Aether super-
natans separatus in cucurbitam longo collo praeditam bal-
neoque vaporis impositam deinde infunditur, ita ut eadem
nonnisi ad dimidium repleatur. Ex orificio cucurbitae tu-
bus inflexus, obturamento subereo insertus, validus amplio-
risque diametri, ad refrigeratorium idoneum stanneum vel
vitreum deducitur, juncturaeque ejusdem vesica madida bene
clauduntur. Balneo vaporis caute ad lentam ebullitionem
aetheris calefacto, tres quadrantes hujus ad eandem tem-
peraturam superdestillantur. Aether ponderis specifici ma-
joris deinde transiens denuo rectificatur. In parvis optime
claudendis lagenis vitreis loco frigido servatur.

Aether spirituosus.

Alcohol sulphurico-aethereus.

Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.

Aetheris rectificati pars una et

Spiritus Vini rectificatissimi partes duae

commiscentur. Servatur in vitro optime clauso.

Aether spirituosus camphoratus.**Liquor nervinus.**

Camphorae depuratae scrupuli quattuor
solvuntur inter agitandum in

Aetheris spirituosus uncia una.

Liquor in vitro optime claudendo servatur.

Aether venalis.**Aether sulphuricus crudus.**

Pond. specific. 0,73.

Aloë.

Plures species Aloës.

Amygdalae amarae.

Amygdalus communis LIN. var. amara.

Amygdalae dulces.

Amygdalus communis LIN. var. dulcis.

Amygdalinum.

Amygdalarum amarum subtiliter contusarum libra una,
bis, calore non adhibito, diligenter exprimitur. Placenta
quam subtilissime pulverata, pulvis cribratus, integumentis
rejectis, infundibulo instipatur cylindrico, ejus tubus lanu-
gine gossypii est oclusus, atque

Aetheris rectificati unciis octo
perfunditur. Postquam aetherem penitus imbiberit pulvis,
affunditur eidem

Spiritus Vini alcoholisatus,

quamdiu liquor defluens odorem spargit aethereum. Tum
massa, alcohole imbuta, retortae tubulatae ingeritur et

Spiritus Vini alcoholisati unciis sedecim

perfusa, in balneo vaporis decoquitur, spiritu in excipulo
idoneo condensato identidem in retortam refuso. Liquor
per semihoram coctus colatur, et massa residua fortiter ex-
pressa rursus cum

Spiritus Vini alcoholisati libra una

eodem modo tractatur. Liquores colati commiscuntur et
filtrati destillantur, donec remanserint unciae quinque,
quae loco frigido seponuntur. Amygdalinum inde crystal-
lisatum, in filtro collectum et

Spiritus Vini alcoholisati unciis una vel duabus

ablutum leni calore siccatur et in vase vitreo bene clauso
servatur.

Amylum.

Plures species Tritici.

Solanum tuberosum LIN.

Aquae.

Aquae destillatae, aromaticae dictae, ubi aliter non prae-
scriptum fuerit, ita parantur, ut materia vegetabilis, supra
quam destillandae sunt, vel concisa vel contusa vesicae
ingeratur destillatoriae aeneae, capitello et refrigeratorio e
stanno puro confectis instructae, illique infundatur aquae
tantum, ut sub destillatione quantitas ad empyreuma evi-
tandum sufficiens in vesica semper remaneat.

Occasione data, species, exceptis tamen Amygdalis ama-
ris et Cortice Cinnamomi, diaphragmati, cribri instar per-
forato, parti vesicae superiori adaptato sunt imponendae.

Aqua in vesicam infusa ita est calefacienda, ut vapores tantummodo ejusdem illas penetrent.

Aquae distillatione elicita loco frigidiusculo in vasis laxetectis per horas viginti quattuor seponuntur, quibus praeterlapsis, per chartam bibulam madidam filtratae infunduntur vasis vitreis aut fictilibus, leviter oclusis, in loco frigido atque tenebroso servandis.

Aqua Acidi carbonici.

Aqua destillata,

ope glaciei contusae quantum fieri potest refrigerata, quassando saturatur

Gase Acidi carbonici,

quod idoneo apparatu e pulvere

Carbonatis calcici nativi

Acido sulphurico diluto

addendo elicatum et per lagenam mediam, quae aquam fontanam continet, purificationis causa ductum, ad illam intromittitur, occasione abundi saepius data aëri ex aqua expulso. Servatur in lagenis vitreis unciarum viginti optime obturatis, suberibus vinculo apto fixis et colophonio, cum sevi bubuli sexta parte commixto et liquefacto, per immersionem oblitis.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

(*loco Aquae Laurocerasi.*)

Amygdalarum amararum librae duae

contusae fortiter prelo non calefacto exprimuntur. Residuum grandiuscule pulveratum perfunditur

Aquae destillatae libris decem

et in vase vitreo bene clauso, interdum quassando, per horas viginti quattuor seponitur. Quibus praeterlapsis, mixtio in-

funditur in retortam vitream tubulatam, cui adaptatum est excipulum continens

Aquae destillatae unciæ duas,
 quo facto in balneo arenæ fit destillatio, usque dum transierint librae duæ, quæ, si opus fuerit, Aqua destillata, ita ut pro uncia qualibet granum dimidium acidi hydrocyanici contineant, dilutæ, lagenis immittuntur perparvis, bene obturandis et loco frigidiusculo atque obscuro servandis.

Nota. Ut sciat præparator, an et quantum aquæ addere debeat, quo destillatum justam quantitatem Acidi hydrocyanici contineat, inde eximendæ sunt exacte unciæ duæ, quibus additur Liquoris Ammoniaci caustici drachma una, et mixtio bene quassatur. Dein eidem admiscuntur drachmæ quattuor (grana 240) solutionis e Nitratis argentici fusi partibus $6\frac{1}{2}$ et Aquæ destillatæ partibus $93\frac{1}{2}$ paratæ, quibus solutionibus commixtis inter agitandum additur Acidi nitrici diluti tantum, ut acidus fiat liquor. Cyanetum argenticum nunc præcipitatum filtro collectum probe eluitur; liquori vero et aquæ pertranseunti aliquantulum calefactis guttatim et cautissime instillatur exactissime antea ponderata solutio Chloreti natrici depurati et igniti partium $2\frac{1}{4}$ in Aquæ destillatæ partibus $97\frac{3}{4}$, quamdiu turbationem efficit. Quantitas hujus solutionis (Chloreti natrici) adhibita diligenter ponderatione determinata de quantitate solutionis Nitratis argentici (granis 240) subtrahitur; grana vero residua per 100 divisa indicant, quot grana Acidi hydrocyanici contineant istæ unciæ duæ destillati. Quando jam quod granum unum excedit in numerum unciarum diluendarum multiplicatum fuerit, inde videtur, quot unciæ aquæ his addendæ sint. Si ex. gr. grana 77 solutionis chloreti natrici consumpta fuerint, continent illæ duæ unciæ destillati

$$\frac{240 - 77}{100} = \frac{163}{100} = 1,63 \text{ grana Acidi hydrocyanici. Cum vero}$$

nonnisi granum unum adesse debeat, unciis viginti quattuor
destillati $0,63 \times 24 = 15,12$ unciae aquae addentur.

Aqua Amygdalarum amararum diluta.

(*loco Aquae Cerasi.*)

Aquae Amygdalarum amararum concentratae uncia dimidia

Aquae destillatae unciis sedecim

diluitur.

Paratur ex tempore.

Aqua Calcis.

Calcis ustae unciae sex

humectantur

Aquae communis unciis quattuor

et dilapsae perfunduntur

Aquae communis libris octo.

In vase vitreo bene ocluso per horas aliquot interdum
quassatae macerantur, dein liquor limpidus defunditur et in
lagenis optime clausis, quibus indita fuerit Hydratis calcici
portio, servatur. Ante dispensationem Hydras calcicus vel
decanthando vel colando separatur.

Aqua Cinnamomi spirituosa.

Corticis Cinnamomi ceylanici contusi libra una,

Spiritus Vini gallici librae duae,

Aquae quantum sufficit.

Destillando eliciuntur librae sex.

Aqua destillata.

Aqua simplex.

Aqua,

cui additur aliquantulum

Calcis ustae, ex apparatu bene mundo et odoris experte destillatur. Aqua primum transiens, dum aut solutione Nitratis argenti aut Aqua Calcis turbatur, est rejicienda.

Duobus trientibus aquae elicitis, operatio cessat.

Servatur in lagenis clausis vel tectis locoque frigidiusculo.

Aqua Foeniculi.

Seminum Foeniculi contusorum libra dimidia,
Aquae librae decem.

Destillatione eliciuntur librae sex.

Aqua Florum Aurantium.

Aqua Florum Naphae.

Aqua Menthae crispae.

Herbae Menthae crispae librae duae,
Aquae librae decem.

Inde destillantur librae quattuor.

Aqua Menthae piperitae.

Paratur ex *Herba Menthae piperitae* ut Aqua Menthae crispae.

Aquae minerales medicinales.

Aqua Sodae, Selterana, Marienbadensis.

Aqua Petroselini.

E Seminibus Petroselini eodem modo quo Aqua Foeniculi paratur.

Aqua Rosarum.

Petalorum Rosarum salitorum librae tres,

Aquae librae duodecim.
Destillatione eliciuntur librae sex.

Aqua Subacetatis plumbici.

Aqua Saturnina vel Goulardi.

Liquoris Subacetatis plumbici drachmae quattuor,
Spiritus Vini gallici unciae duae,
Aquae destillatae librae duae
commiscentur.

Nota. Quando ita expresse desideratur, etiam *Spiritus*
Frumenti in eadem paranda adhiberi potest.

Argentum.

Baccae Cubebae.

Piper Cubeba LIN.

Baccae Juniperi.

Juniperus communis LIN.

Baccae Lauri.

Laurus nobilis LIN.

Baccae Myrtillorum siccatae.

Vaccinium Myrtillus LIN.

Baccae Rubi idaei siccatae.

Rubus idaeus LIN.

Balsamum Copaivae.

Plures species *Copaiferae*.

Balsamum peruvianum nigrum.

Myrospermum peruvianum DE CAND.

Biboras natricus.**Borax.****Bicarbonas kalicus.****Bicarbonas natricus.****Bismuthum.****Marcasita.****Bitartras kalicus depuratus.****Crystalli Tartari, Cremor Tartari.****Bitartras kalicus Calce privatus.***Bitartratis kalici depurati* librae quinque
subtilissime pulveratae perfunduntur*Acidi hydrochlorici puri* unciis sex et*Aquae destillatae* libris quinque,

mixtioque saepius quassata in balneo aquae per horas aliquot digeritur et deinde in quietem horarum viginti quatuor seponitur. Tum sal in filtro collectus aqua destillata abluitur, dum liquor pertransiens Acidum hydrochloricum continet, et siccatur.

Calx usta.**Calx viva.****Camphora depurata.**

Camphora officinarum NEES, Laurus Camphora LIN.

Cantharides.

Lytta vesicatoria FABR., *Meloë vesicatorius* LIN.

Carbo Carnis.**Carbo animalis.***Caro vitulina*

a pinguedine et ossibus purgata minutim conciditur et sub agitatione in vase ferreo torretur, quamdiu vapores inflammabiles exhalantur. Massa pulverata in vase bene clauso servatur.

Carbo Ligni.

Betula alba LIN.

Carbo Ligni praeparatus.**Carbo vegetabilis.***Carbones Ligni*

in fornace, donec neque fumum nec flammam edant, candefacti, in vas ferreum bene coopertum immissi exstinguuntur, deinde adhuc calidi, a cinere adhaerente purgati, in pulverem subtilem rediguntur. Pulvis statim in vas bene claudendum ingestus servatur.

Carbonas calcicus nativus.**Creta alba.****Carbonas ferrosus mellitus.****Massa ad pilulas ferruginosas Valleti.**

Sulphatis ferrosi nuperrime parati unciæ sex
solvuntur in

ali-
uat-
llata
cum

LIN.

Aquae destillatae ferventis libris tribus,
quibus antea admixtae sunt

Syrupi Sacchari unciae duae.

Simul solvuntur

Carbonatis natrici depurati crystallisati unciae sex et dimidia in

Aquae destillatae fervidae libris tribus

antea quoque cum

Syrupi Sacchari unciis duabus

permixtis. Solutiones ambae filtratae commiscentur in lagena inde prorsus replenda et mox optime obturanda. Sedimento deposito, liquor decanthatur, et lagena continuo impleta

Aquae destillatae quantitate sufficiente,
cui additae sunt

Syrupi Sacchari unciae duae,

beneque conquassata quieti horarum duodecim traditur, quibus praeterlapsis, lotio eodem modo repetitur, usque dum liquor decanthatus nec Sulphatem neque Carbonatem natrium contineat. Praecipitatum elotum in linteo syrupo sacchari imbuto collectum atque expressum statim cum

Mellis albi unciis tribus et dimidia

in balneo vaporis calefactis commiscetur, et mixtio in balneo vaporis ad residuum drachmarum quadraginta duarum evaporata mox in vas vitreum optime claudendum ingesta servatur.

Carbonas kalicus depuratus.

Potassa depurata.

Carbonas kalicus venalis

in olla ferrea nitida

Aquae pondere duplo

perfusus inter coquendum solvitur, quo facto liquor per linteum aut chartam bibulam albam densiorem colatus in olla supra dicta eo usque evaporat, ut crystalli durae, quasi arenaceae, sub refrigeratione inde concrecant. Tum per dies aliquot loco frigido quieti traditus atque a crystallis interea formatis quam limpidissime separatus, in vase ferreo nitido iterum evaporat, donec vestigiis crystallorum turbari incipiat, deindeque crystallisationi lentae in vase tecto, loco subfrigido, seponitur. Massa crystallina in infundibulum congesta et, postquam liquor defluerit, ope caloris ad siccitatem redacta in

Aquae destillatae pondere suo aequali solvitur, postremumque solutio limpide decanthata ad siccum, spathula ferrea nitida interea agitata, denuo evaporat. In vase bene obturato, cui statim est immittendus pulvis siccus, servatur.

Carbonas kalicus purus.

Bitartratis kalici Calce privati quantum libet immittitur crucibulo hassico aut potius ferreo, quod, nonnisi ad quattuor partes quintas inde repletum, operculo ferreo leviter tectum in fornace ignitur, massaque candens ad combustionem sublevandam bacillo ferreo interdum agitatnr. Quando specimen ejusdem exentum in aqua solutionem coloris expertem sistit, carbone solummodo restante, crucibulum ab igni summovetur et contentum carbonosum, grossiuscule pulveratum, in olla ferrea nitide mundata cum quantitate quadrupla aquae destillatae excoquitur, quae operatio, solutione decanthata, bis iteratur. Liquores commixti, in vase vitreo clarefacti, filtrantur et in olla nitida ferrea ad siccitatem evaporatione rediguntur, quo facto massa sicca adhuc calida pulveratur et mox in vasis vitreis bene claudendis servatur.

Carbonas kalicus venalis.**Potassa vulgaris.****Carbonas natricus depuratus.****Soda depurata.**

Carbonatis natrici venalis in crystallis pars una
solvitur in

Aquae destillatae ferventis parte una et dimidia
et solutio adhuc fervida filtrata, loco frigido, ut concresecant
crystalli, seponitur. Crystalli collectae aqua destillata frigida
aliquantum abluuntur et inter chartae bibulae plagulas sae-
pius mutatas ad ordinariam aëris temperaturam citissime
siccatae in vase vitreo probe obturato servantur.

Carbonas natricus venalis.**Soda.****Cardamomum minus.**

Elettaria Cardamomum WHITE. Alpinia Cardam.
ROXB. Renealmia Cardam. ROSCOE.

Caryophylli.

Caryophyllus aromaticus LIN.

Castoreum.

Castor Fiber LIN.

Cera alba et flava.

Apis mellifica LIN.

Cerussa.**Carbonas plumbicus cum Hydrate plumbico.****Cetaceum.****Sperma Ceti.***Physeter macrocephalus* LIN.**Chlor-amidetum hydrargyricum.****Mercurius praecipitatus albus.***Chloreti hydrargyrici corrosivi* unciae quattuor

solvuntur in

Aquae destillatae fervidae libris sex,

et solutio refrigerata atque filtrata inter agitationem assiduum affunditur

Liquoris Ammoniaci caustici librae dimidia.

Sedimentum in filtro collectum et

Aquae destillatae libra una,

eui adduntur

Liquoris Ammoniaci caustici drachmae duae,

ablutum, in loco tenebroso siccatur et pulveratum in vase non pellucido bene clauso servatur.

Chloras kalicus crudus.**Chloras kalicus depuratus.***Chloratis kalici crudi* quantum vis

in quantitate sufficiente

Aquae destillatae

coquendo solvitur. Solutio calida filtrata ad crystallisandum seponitur et crystalli cum aqua destillata ablutae deinceps siccatae servantur.

Chloretum ammonicum depuratum.**Sal ammoniacum depuratum.**

Chloreti ammonici venalis librae tres
 contusae perfunduntur in patina porcellana
Aquae destillatae fervidae libris sex.

Solutioni ope caloris effectae

Liquoris Ammoniaci caustici uncia una et dimidia
 additur, mixtioque in loco calido aliquantisper detenta etiam
 num calida filtratur et deinde loco frigido ad crystallisatio-
 nem seponitur. Crystallis e lixivio separatis, hoc evapo-
 rando et refrigerando novae eliciuntur crystalli, quamdiu
 albae et purae eadem obtinentur. Omnes crystalli siccatae
 servantur in vasis clausis.

Chloretum ammonicum venale.**Sal ammoniacum sublimatum.****Chloretum calcicum siccum.**

Acidi hydrochlorici puri unciae sex
Carbonate calcico nativo pulverato saturatae cum portione hujus
 excedente digeruntur. Solutio filtrata

Acido hydrochlorico puro saturatur et in patina porcellana ad
 siccitatem evaporat. Sal siccus adhuc calidus in vas vi-
 treum optime claudendum ingestus servatur.

Nota. Solutio, quae massam calcaream post praeparationem
Liquoris Ammoniaci caustici remanentem edulcorando
 obtinetur, *Acido hydrochlorico* saturata, filtrata et evaporando
 in massam siccam salinam redacta, hac in crucibulo fusa,
 praebet Chloretum calcicum fuscum, nonnisi ad usum
 externum operaque technica adhibendum.

Chloretum ferrico-ammonicum.**Murias Ammoniacae ferricus. Sal ammoniacum martiale.**

Chloreti ferrici uncia una et

Chloreti ammonici depurati unciae sex

una solvuntur in

Aquae destillatae quantitate sufficiente,

et solutio filtrata in patina porcellana balneo vaporis imposita inter agitationem continuam ad massam perfecte siccam redigitur, quae adhuc calida in pulverem contrita in vase non pellucido bene obturato servatur.

Chloretum ferricum.

Oxidi ferrici nativi laevigati unciae quattuor cum

Acidi hydrochlorici puri unciis sedecim

in retorta tubulata, cui excipulum laxè adaptatum fuerit, digeruntur, destillato in retortam per tubulum interdum refundendo. Acido saturato, liquor a pulvere non soluto limpide decanthatus in patina porcellana balneo vaporis imposita ad spissitudinem syrupi tenuis redigitur, vel eo usque evaporat, ut gutta exemta refrigerata segniter fluat; tum patina ope laminae aut campanulae vitreae tecta loco frigidiusculo seponitur, donec massa crystallina concreta non amplius augeatur, quae a liquore separata et comminuta in vase vitreo sicco non pellucido optime obturato servatur.

Chloretum hydrargyricum corrosivum.**Mercurius corrosivus albus.****Chloretum hydrargyrosum mite.****Calomel.**

Acidi nitrici diluti partes octo et

Hydrargyri depurati partes novem

in cucurbita vitrea, ampliori, longo collo instructa, ejus orificio imponitur infundibulum vitreum, digeruntur, posteaque in calore aucto, dum liquor flavescere incipiat, detinentur. Solutioni adhuc calidae admiscetur

Aquae destillatae fervidae pondus ejusdem duodecuplum atque

Acidi nitrici diluti tantum,

ut liquor evadat clarus colorisque expers, et pars quaedam exempta, majore quantitate aquae diluta, non turbetur. Liquor deinde ab hydrargyro non soluto caute decanthatus inter agitandum affunditur solutioni filtratae fervidae e

Chloreti natrici depurati partibus decem et

Aquae destillatae partibus trecentis

paratae. Horis aliquot praeterlapsis, sub quibus saepius agitatur mixtio, liquor innatans clarus defunditur, sedimentumque aqua destillata fervida diligentissime elotum inter chartam bibulam bene siccatur et in vasis vitreis non pelucidis probe clausis servatur.

Chloretum morphicum.

Morphii partes duae

contritae cum

Aquae destillatae partibus quinque,

atque in patina porcellana calefactae perfecte solvuntur ope additae

Acidi hydrochlorici puri quantitatis sufficientis.

Liquor filtratus ad crystallisandum seponitur et crystalli, super charta bibula siccatae, in vase vitreo bene obturato servantur.

Chloretum natricum depuratum.**Sal commune depuratum.**

Liquori e

Chloreti natrici venalis parte una

soluta in

Aquae destillatae partibus quattuor

parato et ad ebullitionem calefacto admiscetur solutio

Carbonatis natrici depurati,

quamdiu ille turbetur; mixtio, requieti dierum duorum relicta, deinde filtratur atque ope *Acidi hydrochlorici puri* neutralis reddita ad crystallisationem evaporat. Crystalli in filtro collectae pauxillo aquae destillatae abluuntur et siccatæ in vasis vitreis servantur.

Chloretum natricum venale.**Sal commune vel culinare.****Chloretum zincicum.***Acido hydrochlorico puro*

in cucurbita calefacto minutatim admiscetur

Oxidi zincici quantum dissolvitur.

Solutio filtrata, *Acidi hydrochlorici puri* pauxillo addito, in patina porellana leni calore evaporat, donec gutta exemta refrigerata durescat, quo facto patina a calore removetur, et massa concreta in frustula comminuitur, quae in vas vitreum obturamento vitreo bene claudendum mox ingesta servantur.

Chloridum formicum.**Chloroformium.**

Ollae ferreae vel aeneae, pro balneo aquae adhibitæ,

immergitur (ita tamen ut ex aqua emineat) lagena vitrea
vel fictilis, sufficienter capax, cui immittuntur
Aquae destillatae librae sexaginta,
ad temperaturam $+60^{\circ}$ antea calefactae, et
Hypochloritis calcici librae tredecim.

Mixtioni spathula lignea agitatae adduntur
Spiritus Vini rectificatissimi unciae duae et triginta,
quo facto orificium lagenae embolo clauditur subereo, cui
insertus est tubus vitreus tripedalis deorsum inflexus, in
medium excipuli tubulati, duarum circiter librarum capacis
glacieque aut aqua gelidissima refrigerandi, per obturacu-
lum transiens. E tubulo excipuli tubus obturamento ada-
ptatus alter tenuior inflexus ad fundum lagenae, uncias fere
sex capientis et aqua frigida quoque circumdatae, deduci-
tur. Commissuris omnibus et vasis destillatorii et excipuli
ope vesicae madidae quam optime obligatis, tuboque, la-
genam majorem cum excipulo connectente, fasciis linteis
aqua continue humectandis circumvelato, olla igne aequa-
bili ita est calefacienda ut mixtio in lagena lente ebulliat,
donec guttulae oleo similes per tubum nuperrime memora-
tum transeunt. Destillatione finita, stratum inferius liquoris
in excipulo collecti separatum cum dimidio suo volumine
solutionis e

Carbonatis natrici depurati parte una et
Aquae destillatae partibus viginti quattuor
paratae bene conquassatur et deinde iterum separatum supra
Chloreti calcici fusi uncias duas
rectificatur. In lagenis parvis, optime clausis et vasi aqua
impleto immersis, loco frigido servatur.

Coccionella.

Coccus Cacti LIN.

Colloidium.

Nitratis kalici depurati pulverati drachmae decem
cum

Acidi sulphurici concentrati drachmis quindecim
in vase cylindrico vitreo aut in mortario porcellano com-
miescentur, quibus mox additur diluta Carbonatis natri
solutione antea ablutae atque in calore perfectissime siccatae
deinque discerptae

Gossypii lanuginis drachma dimidia.

Minutis ad summum quinque praeterlapsis, quo tempore
miscela bacillo vitreo aliquoties agitur, massa humida in
patinam porcellanam capacem, aqua frigida repletam trans-
fertur ibique bene abluta exprimitur atque in aqua iteratim
lavatur, quamdiu charta exploratoria caerulea humida inde
rufescit. Denique super laminam vitream expansa in tem-
peratura ordinaria siccatur, quo facto quam primum usui
adhibetur.

Pyroxylini ita parati grana decem,

forfice minutissime concisa, lagenae immittuntur et cum

Spiritus Vini alcoholisati drachma dimidia

humectata deinde perfunduntur

Aetheris rectificati uncia una

atque, donec pyroxylinum plane dissolutum fuerit, quassan-
tur. Solutio aetherea limpida, decanthatione a sedimento
sub quiete forsitan deposito separata, in vitro ope epistomii
depoliti bene clauso servatur.

Conserva Rosarum.

Petalorum Rosarum siccatorum et pulveratorum uncia una,

Aquae Rosarum unciæ duae

per horas duas macerantur, deindeque

Sacchari albi pulverati unciæ octo

admiscuntur. In vase vitreo bene ocluso loco frigido servatur.

Cortex Aurantii (fructus).

Citrus Aurantium LIN.

Cortex Cascariillae.

Croton Eluteria SWARTZ.

Cortex Cassiae cinnamomeae.

Cinnamomum aromaticum NEES.

Cortex Chinae regiae et fuscae.

Species non satis notae Cinchonae.

Cortex Cinnamomi ceylanici.

Cinnamomum ceylanicum NEES, Laurus Cinnamomum LIN.

Cortex Citri (fructus).

Citrus medica LIN.

Cortex Frangulae.

Rhamnus Frangula LIN.

Cortex Mezerei.

Daphne Mezereum LIN.

Cortex Quercus.

Quercus Robur LIN.

Creosotum.

Pond. specific. 1,037.

Cuprum.**Decocta.**

Decocta semper ex tempore parantur et, nisi coctio expresse praescripta fuerit, digestionem in vasis, aqua ebulliente vel vapore ejusdem calefactis, stanneis et operculo bene claudente tectis. In decoctis, materiam quandam acidam aut alkalinam continentibus, parandis, vasa tantummodo porcellana adhibentur.

Substantiae, e quibus decocta sunt paranda, concisae aut ad pulverem grossum redactae, perfunduntur aquae fervidae quantitate colaturam praescriptam aliquantum excedente, ita ut, quanta post colationem et expressionem in speciebus et colatorio remanere censeatur ejusdem portio, supra colaturae obtinendae copiam addatur.

Digestio continuanda est:

- a) Florum, Herbarum et Radicum texturae mollioris per horae quadrantem;
- b) Corticum, Lignorum et Radicum duriorum per horam dimidiam et
- c) Substantiarum, quibus partes efficaces difficillime extrahuntur, per horae dodrantem.

Decocta post colationem quam citissime refrigerantur, vase aqua gelida vel glacie circumdando.

In Decocto-infusis parandis substantia infundenda decocto jam parato admiscetur, quo facto mixtio per horae quadrantem in loco modici caloris seponitur.

Decoctum Althaeae.

Radicis Althaeae uncia dimidia
Aquae destillatae quantum satis
 per horae quadrantem digeruntur ut fiat colatura librae
 unius.

Decoctum Corticis Chinae fuscae.

Corticis Chinae fuscae subtilius contusi sesquiuncia
 coquitur cum
Aquae destillatae libris tribus,
 usque dum remaneat liquoris libra una, adhuc calida co-
 landa.

Decoctum Corticis Chinae regiae.

Eodem modo, quo praecedens, e *Cortice Chinae regiae*
 paratur.

Decoctum Frangulae compositum.

Corticis Frangulae concisi drachmae sex
 coquantur cum
Aquae communis libris duabus
 ad remanentiam librae unius, cui tum adduntur
Corticis Aurantii concisi et
Seminum Carvi contusorum, singulorum drachmae duae.
 Mixtio nonnihil refrigerata per duas horas digeritur deinde
 que colatur.

Decoctum Guajaci compositum.

Decoctum Lignorum.
Specierum Guajaci compositarum unciae sex,
Aquae destillatae librae duodecim
 coquantur, donec evaporaverit dimidium, et colantur.

Decoctum Tamarindorum.

Fructus Tamarindi orientalis a seminibus purgati uncia una,
Aquae destillatae quantum sufficit

per horam dimidiam inter agitationem interdum factam digeruntur, adeo ut colatura librae unius obtineatur.

Decoctum Zittmanni fortius.

Radicis Sarsaparillae minutissime incisae libra una cum

Aquae destillatae libris septuaginta duabus

digeritur per horas viginti quattuor. Deinde, mixtione ad ebullitionem calefacta et per horae quadrantem cocta,

Sulphureti hydrargyrici rubri praeparati drachma una,

Chloreti hydrargyrosi mitis drachmae quattuor,

Sacchari albi pulverati,

Sulphatis aluminico-kalici depurati pulverati, utriusque drachmae sex

bene commixtae et sacco linteo inclusae, liquori immittuntur, qui, in vase fictili vitreato ad colaturam librarum viginti quattuor decoctus, additis tamen sub finem coctionis

Seminum Anisi,

Seminum Foeniculi singulorum contusorum drachmis quattuor,

Radicis Liquiritiae incisae uncia una et dimidia,

Foliorum Sennae unciis tribus,

exprimendo colatur et a sedimento defunditur.

Decoctum Zittmanni mitius.

Residuum Decocti Zittmanni fortioris,

Radicis Sarsaparillae minutissime incisae unciae sex,

Aquae destillatae librae septuaginta duae

in vase fictili vitreato decoquantur ad colaturam librarum viginti quattuor, additis sub finem coctionis

Cardamomi minoris,

Corticis Cinnamomi,

Corticis Citri, singulorum contusorum drachmis tribus,

Radici Liquiritiae incisae drachmis sex.

Colatura exprimendo facta a sedimento defunditur.

Elaeosaccharum Anisi.

Olei Anisi guttae duae,

Sacchari albi pulverati drachma una

conterendo miscentur.

Eodem modo et nonnisi ex tempore Elaeosacchara cetera ex oleis aethereis reliquis parantur.

Elaterium album.

Ecbalium Elaterium RICH., *Momordica Elaterium* LIN.

Electuarium Sennae.

Electuarium lenitivum.

Seminum Coriandri pulveratorum drachmae duae,

Foliorum Sennae pulveratorum unciae duae,

Syrupi Sacchari unciae tres,

Pulpae Tamarindorum depuratae libra dimidia

commiscentur.

Emplastra.

Emplastra, substantiis quibus componuntur in balneo vaporis, nisi aliter expressis verbis praescriptum sit, una liquatis, vel in capsulas chartaceas defusa vel in magdalides formata, loco frigido servantur.

Quae substantias herbaceas, extracta aut cantharides continent in cylindros formantur supra tabulam ligneam oleo lini unctam et, postquam in aëre tepido bene siccata fuerint, charta involuta servantur.

Emplastrum adhaesivum.

Emplastri plumbici librae duae
in balneo aquae cum
Resinae Dammarae drachmis duodecim
colliquefactae in cylindros formantur.

Emplastrum ammoniaco-galbanicum.

Emplastrum gummosum.

Cerae flavae uncia una et dimidia,
Emplastri plumbici libra una
inter agitandum una liquantur et massae semirefrigeratae
admiscentur
Gummi resinae Ammoniaci,
Gummi resinae Galbani, utriusque pulveratae drachmae quattuor,
leni calore antea solutae in
Terebinthinae venetae drachmis quattuor.

Usque ad refrigerationem perfectam agitata massa in cylindros formatur.

Emplastrum ammoniaco-scilliticum.

Gummi-resinae Ammoniaci pulveratae unciae quattuor,
Aceti Scillae unciae octo
commixtae et in patina porcellana inter continuam agitationem ad spissitudinem emplastri evaporatae in magdalides tenues formantur.

Emplastrum anglicum.**Sericum adhaesivum.****Emplastrum aromaticum.****Emplastrum stomachicum.**

Sevi curati unciis tribus et
Cerae flavae unciis quattuor
 commixtis ac liquatis additur sub agitatione
Terebinthinae venetae uncia una;
 massae semirefrigeratae admiscetur primum
Olei Nucis moschatae drachmae sex,
Resinae Benzoës pulveratae uncia una,
Olibani pulverati unciae duae
 et denique
Olei Carvi,
Olei Caryophyllorum,
Olei Menthae piperitae singulorum drachma una,
 simul agitandae donec emplastrum formari possit in cy-
 lindros, qui in vase probe clauso servantur.

Emplastrum Assae foetidae compositum.**Emplastrum foetidum.**

Cerae flavae unciis quattuor,
Olei Olivarum communis,
Resinae flavae, utriusque unciae uni,
 colliquefactis et semirefrigeratis admiscentur
Gummi resinae Assae foetidae pulveratae,
Gummi resinae Galbani pulveratae utriusque unciae duae.
 Massa ad refrigerationem agitata in magdalides formatur.

Emplastrum Cantharidum.

Olei Olivarum communis unciae tres,

Cantharidum pulveratarum unciae sex,

Cerae flavae unciae decem

in balneo vaporis per horas sex una digeruntur deindeque,
additis

Terebinthinae venetae unciis tribus,

massa liquefacta et ad refrigerationem agitata in magdalides
formatur.

Emplastrum Cantharidum cum Euphorbio.

Emplastrum vesicatorium Janini.

Gummi resinae Euphorbii pulveratae uncia una,

Cantharidum pulveratarum unciae duae,

Terebinthinae venetae unciae sex

in balneo vaporis per horas duodecim una digeruntur; dein
admiscentur

Olei Terebinthinae rectificati tantum,

quantum massa per digestionem de pondere suo amiserit, et

Resinae Mastiches pulveratae unciae sex.

E massa liquefacta post refrigerationem formantur cylin-
dri tenues, qui charta oleata involuti servantur.

Emplastrum Cerae terebinthinatum.

Emplastrum citrinum.

Radicis Curcumae pulveratae drachmae duae,

Olei Olivarum communis,

Terebinthinae venetae, utriusque unciae duae,

Sevi curati unciae quattuor,

Resinae flavae libra dimidia,

Cerae flavae libra una

colliquefactae colantur et in capsulis chartaceis refrigerantur.

Emplastrum Conii.

Resinae flavae unciae dimidiae,

Cerae flavae unciis tribus,

Emplastri plumbici librae uni

colliquefactis et nonnihil refrigeratis admiscentur

Extracti Conii unciae duae.

Magdalides formatae charta cerata involutae servantur.

Emplastrum Hjaerleri.**Emplastrum saponacco-plumbicum.**

Saponis hispanici albi rasi unciae decem

solvuntur in

Olei Olivarum communis unciis quadraginta quinque,

quibus deinde adduntur

Cerussae pulveratae unciae novem,

Minii pulverati libra una et dimidia

et quando supra ignem coctione solutae fuerint ac massa
colorem castaneum duxerit, huic demum admiscetur

Terebinthinae venetae uncia una et dimidia.

In magdalides crassiores supra tabulam oleo lini unctam
formatur emplastrum.

Emplastrum Hydrargyri.

Terebinthinae venetae drachmae duae,

Hydrargyri depurati uncia una

terendo in mortario ferreo tepefacto intime commixtae ad-
miscuntur

Cerae flavae unciae dimidiae et

Emplastri plumbici unciis duabus

antea colliquefactis et semirefrigeratis.

In magdalides formatur.

Emplastrum Hyoscyami.

Eodem modo quo Emplastrum Conii ex *Extracto Hyoscyami* paratur.

Emplastrum Meliloti.

Olei Olivarum communis,

Resinae flavae, utriusque librae dimidia, et

Cerae flavae librae uni

colliquefactis et nonnihil refrigeratis admiscetur

Herbae Meliloti pulveratae libra una.

In magdalides formatur.

Emplastrum opiatum.

Resinae Elemi drachmae dimidia,

Terebinthinae venetae drachmis tribus

colliquefactis admiscentur

Resinae Benzoës pulveratae drachma una,

Resinae Mastiches pulveratae,

Olibani pulverati, utriusque drachmae duae.

Massae homogeneae factae ulterius adduntur

Camphorae depuratae pulveratae drachma dimidia,

Opii levantici subtiliter pulverati drachma una.

Post refrigerationem in magdalides formatur, quae charta cerata involutae in vase clauso servantur.

Emplastrum Picis.

Cerae flavae unciae octo,

Picis solidae unciae sedecim,

Resinae flavae librae duae

commixtae leni igne liquantur, additisque

Terebinthinae venetae unciis quinque,

colantur et in capsulis chartaceis oleo unctis refrigerantur.

Emplastrum plumbicum.

Emplastrum Oxidi plumbici vel commune.

Oxidi plumbici venalis praeparati librae quinque,
Olei Olivarum communis librae novem

una coquantur igne modico, continue agitatae et aquam fer-
 vidam per parvas portiones caute admiscendo, donec massa
 justam emplastri spissitudinem obtineat. Humore omni ad
 ignem lentum exhalato, emplastrum in magdalides formatur.

Emplastrum saponatum.

Emplastri plumbici unciis decem

modico calore liquatis primum admiscetur

Saponis hispanici albi pulverati unciae duae
 et deinde, massa nonnihil refrigerata,

Camphorae depuratae pulveratae drachmae duae
 solutae in

Olei Olivarum communis drachmis tribus,

quibus bene commixtis, massa in capsulas chartaceas defusa
 in vase probe clauso servatur.

Emulsiones.

Emulsiones omnes ex tempore parantur.

Emulsio Ammoniaci.

Lac ammoniacum.

Gummi-resinae Ammoniaci uncia dimidia,

Aquae Menthae piperitae unciae octo

in mortario vitreo conteruntur donec Gummi Ammoniacum
 perfecte in aqua sit suspensum.

Emulsio Amygdalarum.**Emulsio communis.**

Amygdalarum dulcium excorticatarum uncia una et dimidia
 in mortario lapideo contunditur, simul sensim addita
Aquae destillatae quantitate sufficiente,
 ut fiat colatura librae unius, cui adduntur
Sacchari albi drachmae tres.

Emulsio Assae foetidae.

E *Gummi-resina Assa foetida* pulverata eodem modo, quo
 Emulsio Ammoniaci, paratur.

Emulsio camphorata.

Camphorae depuratae pulveratae grana duodecim
 humectantur
Spiritus Vini rectificatissimi scrupulo uno
 et conteruntur primum cum
Gummi arabici pulverati drachma una
 deindeque cum minutatim additis
Emulsionis Amygdalarum unciis sex.

Emulsio Cornu Cervi usti.

(*loco Decocti albi Sydenhami.*)

Ossium ustorum alborum praeparatorum,
Gummi arabici pulverati, utriusque uncia dimidia,
Aquae destillatae libra una
 commixtae semel ebulliunt. Mixtioni refrigeratae admi-
 setur
Syrupi Amygdalarum uncia dimidia.
 Non est colanda.

Emulsio Guajaci.**Mixtura antarthritica Bergeri.**

Gummi arabici pulverati drachmis duabus et
Resinae Guajaci pulveratae unciae dimidia
 optime contritis sensim adduntur
Sacchari albi uncia una et dimidia,
Aquae Menthae piperitae unciae novem.

Emulsio gummosa.

Gummi arabici pulverati unciae dimidia
 solutae in
Aquae destillatae ferventis quantitate sufficiente
 additur
Emulsionis Amygdalarum libra una.

Emulsio hydrocyanica.

Amygdalini grana duodecim et
Emulsionis Amygdalarum unciae duae
 in lagenae obturanda miscentur et per horam, interdum quas-
 satae, macerantur.

Emulsio oleosa.

Gummi arabici pulverati,
Syrupi Amygdalarum, utriusque uncia dimidia,
Olei Amygdalarum expressi uncia una,
Aquae destillatae unciae tres
 commiscentur ut fiat lege artis emulsio.

Emulsio salina.

Amygdalarum dulcium excorticatarum et contusarum drachmae
 quattuor et

Mellis despumati drachmae sex
 in mortario lapideo aut porcellano contritae diluuntur cum
Aquae destillatae tanta quantitate
 ut, solutis in emulsione
Tartratis kalici drachma una et dimidia,
 fiat colatura unciarum sex.

Enemata.

Enemata omnia ex tempore parantur.

Enema commune.

Crimnorum Avenae unciae duae,
Aquae destillatae librae duae
 coquantur ad colaturam librae unius, in qua solvuntur
Chloreti natrici pulverati unciae duae.
 Huic decocto, inter quassandum addendae sunt
Olei Olivarum communis unciae duae.

Enema Nicotianae.

Foliorum Nicotianae comminutorum drachma una
 perfunditur
Aquae destillatae fervidae unciis octo,
 et per horae quadrantem inter agitandum maceratur, dein-
 que liquor colatur.

Enema Opii.

Amyli drachmae duae
 cum exigua aquae copia triturateae
Aquae destillatae ferventis unciis quattuor
 sensim et inter agitandum admiscentur. Quum in unum
 coierint additur
Tincturae Opii drachma dimidia.

Extracta.

Extracta in vasis stanneis vel cupreis, stanno bene obductis, nisi aliter praescriptum fuerit, sunt paranda. Tenendum etiam est aquam, ubi adhibeatur, destillatam esse oportere, expressionem inter laminas ligneas, stanneas aut stanno obductas faciendam et evaporationem in balneo aquae vel vaporis, continua sub agitatione, instituendam esse. In vase, supra ignem lenem immediate collocato, solutiones tantummodo extractorum valde dilutas atque copiosas, quae partes efficaces volatiles non continent, ut Extractorum Graminis, Taraxaci cet., ad dimidias evaporare licitum est. Extracta ad siccitatem redigenda in balneo aquae ad spissitudinem extracti solitam exhalantur et deinde leni calore in furno exsiccatorio arescunt.

Servanda sunt loco sicco et frigidore in vasis fictilibus aut vitreis bene clausis.

Extractum Absinthii.

Herbae Absinthii subtilissime incisae pars una
maceratur per horas viginti quattuor cum

Aquae frigidae partibus quattuor
et exprimitur. Residuum

Aquae tepidae partibus tribus

perfusum et denuo per tantumdem temporis maceratum exprimitur. Liquores colati in balneo aquae, donec tertia pars eorum remanserit, evaporant deinceps in loco frigido ad sedimentum deponendum detinentur. Pars limpida liquoris defusa iterum colatur et ad spissitudinem extracti exhalatur.

Extractum Aconiti.

Foliorum Aconiti in pulverem grossum redactorum libra una
in cucurbita per horas viginti quattuor digeritur cum

Spiritus Vini rectificati libris duabus
 et fortiter exprimitur. Residuum denuo perfusum
Spiritus Vini rectificati libra una et dimidia
 eodem modo digeritur et exprimitur. Liquores commixti
 et per chartam bibulam filtrati ad spissitudinem extracti
 evaporant.

Extractum Aconiti pulveratum.

Extracti Aconiti uncia una, cum
Sacchari Lactis pulverati drachmis duodecim et
Radicis Liquiritiae pulveratae drachmis quinque
 commixta, leni calore ad siccitatem redigitur.
Massae aridae pulveratae
Sacchari Lactis pulverati et
Radicis Liquiritiae pulveratae, utriusque partes aequales
 ulterius commiscuntur, ut pondus habeat unciarum trium.
 In vase optime clauso servatur.

Extractum Belladonnae.

E *Foliis Belladonnae* ut *Extractum Aconiti* paratur.

Extractum Belladonnae pulveratum.

Paratur ex *Extracto Belladonnae* eodem modo, quo *Ex-
 tractum Aconiti* pulveratum.

Extractum Brayerae anthelminticae.

Extractum Kouso.

Florum Brayerae anthelminticae libra una
Spiritus Vini rectificatissimi librae tres
 in vase clauso interdum quassato per nycthemera duo dige-
 runtur. Tinctura expressa, residuum eodem modo, adhibitis

Spiritus Vini rectificatissimi libris duabus,
tractatur.

Tincturae commixtae filtrantur et in balneo aquae ad
spissitudinem extracti evaporant.

Extractum Cardui benedicti.

E *Foliis Cardui benedicti* eundem in modum, quo Extra-
ctum Absinthii, paratur.

Extractum Cascarillae.

Corticis Cascarillae pulverati libra una,

Spiritus Frumenti depurati librae quattuor

per nycthemera duo, interea saepius quassatae, maceran-
tur et exprimuntur. Residuum cum

Spiritus Frumenti depurati libris duabus

ulterius bis eodem modo tractatur.

Liquores commixti et, postquam faeces subsederint, fil-
trati ad spissitudinem extracti evaporant.

Extractum Cinae aethereum.

Seminum Cinae levanticae pulveratorum unciae quattuor
extrahuntur ope

Aetheris rectificati librae unius et dimidiae

in apparatu, qualis ad Acidum gallotanicum parandum
adhibetur. Liquor filtratus et ad residuum quadrantis de-
stillatus modico calore ad spissitudinem syrapi et usque quo
evanescat odor aethereus evaporat. In vase vitreo bene
clauso servatur.

Extractum Colocynthis.

Fructuum Colocynthis a seminibus purgatorum, contusorum
et incisorum libra una,

Spiritus Vini rectificati libris sex
perfusa et loco calido per dies aliquot digesta, exprimitur.

Residuum in eundem modum tractatur mixtione facta e

Spiritus Vini rectificati et

Aquae destillatae, utriusque libris duabus et dimidia.

Tincturae ita paratae commiscentur et filtratae ad extractum evaporatione rediguntur spissum, quod leni calore siccatum in vase optime clauso servatur.

Extractum Colocynthis compositum.

Extracti Colocynthis pulverati drachmae sex
solvuntur in

Spiritus Vini rectificati quantitate sufficiente ut spissitudinem
syrupi obtineant. His admiscentur assidua sub agitatione

Caryophyllorum pulveratorum drachmae duae,

Gummi-resinae Scammonii aleppensis pulveratae uncia duae,

Aloës pulveratae unciae quattuor.

Mixtio evaporando inspissata siccatur et pulveratur.

Extractum Conii.

Eodem modo, quo *Extractum Aconiti*, e *Foliis Conii*
paratur.

Extractum Conii pulveratum.

Ut *Extractum Aconiti* pulveratum ex *Extracto Conii*
conficitur.

Extractum Dulcamarae.

E *Stipitibus Dulcamarae* minutim incisis et contusis ut *Ex-*
tractum Absinthii paratur.

Extractum Enulae.

Radiciis Enulae grandiuscule pulveratae libra una

Spiritus Vini rectificati libris quattuor
perfunditur et loco calido per aliquot dies digesta expri-
mitur. Residuo, mixtione e

Spiritus Vini rectificati et

Aquae destillatae, utriusque unciis viginti,
in eundem modum tractato, tincturae commiscuntur et fil-
tratae ad spissum evaporant extractum, quod leni calore
siccatum in vase optime clauso servatur.

Extractum Filicis Maris aethereum.

E *Radice Filicis Maris* recenter collecta, siccata et pulve-
rata eodem modo, quo *Extractum Cinae aethereum*,
paratur.

Extractum Gentianae.

E *Radice Gentianae rubrae* concisa, et

Extractum Graminis

E *Radice Graminis*, ut *Extractum Absinthii* parantur.

Extractum Hyoscyami.

E *Foliis Hyoscyami* in modum *Extracti Aconiti* pa-
ratur.

Extractum Hyoscyami pulveratum.

Eodem modo, quo *Extractum Aconiti pulveratum*,
ex *Extracto Hyoscyami* paratur.

Extractum Nicotianae.

E *Foliis Nicotianae* ut *Extractum Aconiti* paratur.

Extractum Nucis vomicae spirituosum.

Nucis vomicae libra una

in vase bene clauso cum

Spiritu Vini rectificatissimo

maceratur, indeque sublata et calore celeriter siccata in grossum pulverem redigitur, qui cum eadem ipsa in macerando adhibita

Spiritus Vini rectificatissimi portione,

addita recentis hujus copia tanta, ut in totum tres libras efficiat, in vase clauso, interdum quassando, per nycthemera duo digeritur. Tinctura expressa, residuum eodem modo, adhibitis

Spiritus Vini rectificatissimi libris duabus, tractatur.

Tincturae commixtae filtrantur et in balneo aquae ad spissitudinem extracti evaporant.

Extractum Nucis vomicae spirituosum pulveratum.

Modo, quo Extractum Aconiti pulveratum, e praecedente paratur.

Extractum Opii.**Opium depuratum vel purum.**

Opii levantici in laminas tenues concisi unciae quattuor per horas viginti quattuor cum

Aquae destillatae libra una et dimidia,

saepius interea agitando, maceratae exprimuntur. Residuum cum

Aquae destillatae libra una

eodem modo tractatur. Liquores commixti a sedimento

deposito decanthati filtrantur et in extractum evaporant spissum, quod dein siccatum in vase bene clauso servatur.

Extractum Pomorum ferratum.

Pomorum acidulorum cute privatorum librae duae et
Ferri limati unciae quattuor

in mortario ferreo conteruntur ad massam pultiformem, quae, aqua evaporante interdum compensata, in modico calore per dies viginti digeritur. Tum eadem, Aqua destillata affusa, agitur et post horas aliquot exprimitur; residuum vero eodem modo, digestionem excepta, tractatur. Liquores commixti et colati, postquam depositum fuerit sedimentum, limpide decanthantur et leni calore ad spissitudinem extracti evaporant.

Extractum Ratanhiae.

Radicis Ratanhiae minutim concisae et contusae librae duae
per nycthemera duo, interea saepe agitatae, cum

Aquae destillatae frigidaee libris octo
maceratae exprimuntur. Residuo cum

Aquae destillatae libris sex
eundem in modum bis tractato, liquores per pannum densum colati ad extractum evaporatione rediguntur spissum leni deinde calore siccandum.

Extractum Rhei.

E *Radice Rhei sibirici* in laminas tenues concisa paratur ut
Extractum Absinthii. Siccatum in vase clauso servatur.

Extractum Secalis cornuti.

Secalis cornuti pulverati unciae octo
in loco frigidiusculo cum

Aquae communis unciis sedecim
per nychthemerum, miscela interea saepe agitanda, mace-
rantur. Massa expressa cum nova eadem quantitate aquae
similiter tractatur. Liquores commixti filtrantur et in balneo
aquae ad consistentiam syrupi evaporant. Extractum hocce
aquosum in cucurbita vitrea bene clausa saepius quassanda
una cum

Spiritus Vini rectificatissimi unciis octo
per horas viginti quattuor digeritur, quo facto solutio fil-
trata, spiritu destillatione inde separato, in balneo aquae ad
spissitudinem extracti evaporat.

Extractum Stramonii.

E *Seminibus Stramonii* eodem modo, quo Extractum A-
coniti, paratur.

Extractum Taraxaci.

E *Radice Taraxaci*, et

Extractum Trifolii aquatici

E *Foliis Trifolii aquatici*, in modum Extracti Absinthii,
parantur.

Extractum Valerianae.

E *Radice Valerianae minoris* eodem modo, quo Extra-
ctum Absinthii, paratur.

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens calefactum per linteum colatur et in balneo
aquae ad spissitudinem extracti evaporat.

Ferrum limatum.

Limatura Ferri.

Ferrum limatum praeparatum.**Flavedo Aurantii.**

Cortices Aurantium in aqua calida emolliuntur, et albedine ope cultri acuti resecta, flavedo leni calore siccata servatur.

Flores Arnicae.

Arnica montana LIN.

Flores Brayerae anthelminticae.

Brayera anthelmintica KUNTH.

Flores Chamomillae vulgaris.

Matricaria Chamomilla LIN.

Flores Lavandulae.

Lavandula vera DE CAND.

Flores Sambuci.

Sambucus nigra LIN.

Flores Verbasci.

Plures species *Verbasci*.

Folia Aconiti.

Aconitum Napellus LIN.

Aconitum Cammarum LIN.

Folia Belladonnae.

Atropa Belladonna LIN.

Folia Cardui benedicti.

Cnicus benedictus GAERTNER. *Centaurea benedicta* LIN.

Folia Conii.

Conium maculatum LIN.

Folia Digitalis.

Digitalis purpurea LIN.

Folia Hyoscyami.

Hyoscyamus niger LIN.

Folia Malvae.

Malva rotundifolia LIN.

Malva pusilla WITH.

Folia Nicotianae.

Nicotiana Tabacum LIN.

Folia Rosmarini.**Folia Anthos.**

Rosmarinus officinalis LIN.

Folia Salviae.

Salvia officinalis LIN.

Folia Sennae.

Cassia acutifolia DELILE.

Cassia obovata COLLADON.

Cassia lanceolata FORSKÄL.

Folia Trifolii aquatici.

Menyanthes trifoliata LIN.

Folia Uvae Ursi.

Arbutus Uva Ursi LIN.

Fructus Colocynthis.

Cucumis Colocynthis LIN.

Fructus Tamarindi orientalis.

Tamarindus indica LIN. var. orientalis.

Fuligo splendens.**Gallae aleppenses nigrae.**

Quercus infectoria OLIV.

Gelatina Lichenis islandici.*Lichenis islandici amaritie privati* uncia una,*Aquae destillatae* unciae octoin balneo vaporis per horae dodrantem digestae colantur
et, residuo expresso, in liquore solvitur*Sacchari albi* pulverati uncia dimidia;quo facto idem ad remanentiam unciarum quattuor
evaporat.

Ex tempore paratur.

Nota. Si praescripta fuerit Gelatina Lichenis islandici amara, haec eodem modo paratur e *Lichene islandico* non praeparato.**Glacies.****Glandes Quercus decorticatae.**

Quercus Robur LIN.

Globuli martiales.*Ferri limati* libra una,*Bitartratis kalici depurati* pulverati librae quattuor,

Aquae communis librae quadraginta

in olla ferrea bene agitatae, aqua evaporante identidem compensata, concoquuntur donec sapor acidus evanuerit. Liquore in massam pultiformem evaporatione redacto, haec cum aqua, per parvas portiones interdum addita, digeritur dum specimen exentum fere omnino aqua solvatur. Massa, in copia aquae sufficiente soluta, de ferro nondum dissoluto defunditur et in balneo vaporis ad eam spissitudinem redigitur, ut inde formari possint globuli ponderis unciae unius, qui, postquam duruerint, panno spiritu imbuto abstergantur et in vase siceo, clauso servantur.

Glycerinum.

Gummi arabicum.

Acacia tortilis HAYNE.

Acacia Seyal DELILE.

Acacia vera WILLD. cet.

Gummi-resina Assa foetida.

Narthex Assa foetida FALCONER.

Gummi-resina Ammoniacum.

Dorema ammoniacum DON.

Gummi-resina Euphorbium.

Euphorbia officinarum LIN.

Euphorbia canariensis LIN.

Gummi-resina Galbanum.

Galbanum officinale DON.

Gummi-resina Gutta.

Hebradendron Cambogioides GRAHAM.

Gummi-resina Myrrha electa.

Balsamodendron Myrrha NEES et EHRENB.

Gummi-resina Scammonium aleppense.

Convolvulus Scammonia LIN.

Herba Absinthii.

Artemisia Absinthium LIN.

Herba Cerefolii hispanici.

Myrrhis odorata SCOP. — Scandix odorata LIN.

Herba Hyssopi.

Hyssopus officinalis LIN.

Herba Ledi palustris.**Herba Rosmarini sylvestris.**

Ledum palustre LIN.

Herba Majoranae.

Origanum Majorana LIN.

Herba Meliloti.

Melilotus officinalis LAM.

Herba Melissaе citrinae.

Melissa officinalis LIN.

Herba Menthae crispae.

Mentha crispa LIN.

Mentha sativa LIN.

Herba Menthae piperitae.

Mentha piperita LIN.

Mentha Langii STEUDEL.

Herba Sabinæ.

Juniperus Sabina LIN.

Herba Thymi.

Thymus vulgaris LIN.

Hirudines.

Sanguisuga medicinalis SAVIGNY. Hirudo medicin. LIN.

Sanguisuga officinalis SAVIGNY.

Hydrargyrum cum Creta.*Hydrargyri depurati* drachmæ sex et*Cretæ albae* præparatae drachmæ decem

assidue conteruntur, donec globuli Hydrargyri oculo armato non amplius conspiciantur.

Hydrargyrum depuratum.*Hydrargyri venalis* librae duae

in retortam infunduntur collo longiore præditam, balneo arenae vel cineris cribrati penitus immersam atque ita capacem, ut inde ad trientem tantum repleatur. Superficie hydrargyri limatura grandiore, rasura aut filis tortis ferri obtectæ, retortæ excipulum aqua ad dimidias repletum laxè adaptatur ita ut orificium illius aquam fere attingat (si collum autem brevius sit tubo chartaceo producatum), quo hydrargyrum transiens calidum in aquam destillet nec excipulum diffindat. Balneo demum excalesfacto ut leniter ebulliat

hydrargyrum, destillatio continuatur, dum transierint unciae viginti, quae ex aqua collectae et charta bibula deteresae per cucullum chartaceum foramine tenui instructum funduntur. In vitro sicco et bene clauso servatur.

Nota. Haec operatio etiam in retorta ferrea supra ignem immediate posita et leviter calefacta eodem modo perfici potest.

Hydrargyrum venale.

Hydras ferricus.

Subcarbonas ferroso-ferricus. Crocus Martis aperitivus.

Ferri comminuti partibus duabus,
 in cucurbita vitrea, ope mixtionis
Acidi sulphurici puri partium trium et
Aquae destillatae partium quindecim,
 maceratione primum deinceps in balneo arenae digestionem,
 donec evolvitur gas hydrogenii, solutis et filtratis instillatur
Liquor Carbonatis kalici
 quamdiu dejicitur praecipitatum, quod in filtro exceptum et
 aqua destillata fervida elotum leni calore siccatur et in vase
 clauso servatur.

Hydras kalicus purus.

Kali causticum.

Carbonatis kalici puri librae duae,
Aquae destillatae libris viginti
 solutae, in olla ferrea cusa, nitida, ad ebullitionem calefiunt. Solutioni ferventi inter agitationem cum spatula ferrea admiscetur parvae portiunculae pultis e
Calcis ustae libris circiter tribus et

Aquae libris novem

minutatim affusis confectae, cura adhibita ut ebullitio non cesset, sed per minutas aliquot, priusquam nova addatur portio, continuetur. Trientibus duobus calcis additis, particula lixivii identidem exenta, per filtrum Acido sulphurico diluto instillatur. Si effervescencia quaedam exinde oriatur, plus pultis calcareae addendum est, donec, novo tentamine instituto, nulla amplius appareat. Olla tunc operculo bene tecta refrigerio seponitur et quando tepuerit lixivium in vitream defunditur lagenam, quae bene obturata quieti traditur, usque dum sedimento deposito liquor omnino clarus evaserit. Deinde lixivium in ollam ferream cusam et bene politam ope siphonis vitrei limpide transfusum ad siccam bulliendo evaporat massam, quae deinceps calore liquata, dum olei instar fluat, mox in laminam ferream mundissimam effunditur, ubi, rigida facta, adhuc calida comminuitur statimque in vas vitreum siccum et calefactum, epistomio vitreo depolito et sevi portiuncula illito bene obturandum, ingesta servatur.

Hydras kalicus venalis.**(pro balneo.)****Hydras magneticus in aqua.***Sulphatis magnesici depurati librae tres*

solvuntur in

Aquae destillatae libris octo.

Solutioni filtratae et ad ebullitionem calefactae inter agitandum admiscetur

Liquor Hydratis kalici

quamdiu oritur praecipitatum, quod in filtro collectum et aqua destillata fervida bene lavatum deinde cum tanta aquae

destillatae frigidae, aëre vacantis, quantitate commiscetur ut pondus septem librarum habeat mixtio.

In vasis vitreis epistomio vitreo depolito munitis servatur.

Nota. Talis portio in officina semper prostare debet.

Hypochloris calcicus.

Calcaria hypochlorosa. Calx oxymuriatica.

Hypophosphis calcicus.

Calcaria hypophosphorosa.

Calci ustae

aquam fervidam affundendo paratur emulsio calcarea spissior, cui in patina porcellana calefactae frustula

Phosphori

per intervalla temporis minora injiciuntur, donec non amplius dissoluta fuerint. Gas inde evolutum phosphoreti hydrogenici ob indolem venenosam sedulo est deducendum et aqua coquendo absumta interdum, ut explosio evitetur, compensanda. Miscela, quando phosphorus dissolvi cessaverit, ab igni remota aqua diluitur et filtratur, et postquam massa calcarea aliquoties abluta fuerit, liquoribus commixtis gas acidi carbonici inducitur, quamdiu sedimentum deponitur. Solutio denuo filtrata in patina porcellana super balneum aquae, ne explosio fiat, necessario collocanda ad siccitatem evaporatione redigitur. In vasis vitreis optime clausis servatur.

Infusa.

Ex tempore semper parantur Infusa, excepto, ubi facile dividitur, *Infuso Sennae composito*. Species ad infusiones, a medico semper ad quantitatem praescriptae riteque concisae aut contusae, in vase stanneo, porcellano aut vitreo,

operculo bene claudente tecto, aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente perfunduntur et, nisi aliter praeceptum fuerit, per horae quadrantem in loco tepido collocantur, deindeque liquor leniter expressus atque, si opus fuerit, filtratus vase aqua gelida circumdando refrigeratur.

Infusum Chinae calidum.

Corticis Chinae regiae grosso modo pulverati unciae duae,
Aquae destillatae fervidae libra una et dimidia
per horas tres in vase vitreo interdum agitatae macerantur tandemque colantur.

Infusum Chinae frigidum.

Corticis Chinae regiae pulverati unciae duae,
Aquae destillatae frigidae libra una et dimidia
bene commixtae per horas viginti quattuor, interea saepius agitatae, macerantur et liquor exprimendo colatus per chartam bibulam filtratur.

Infusum Rhei.

Tinctura Rhei aquosa.

Radici Rhei sibirici in laminas tenues concisae uncia una,
Carbonatis natrici depurati crystallisati drachmae tres
Aquae communis unciae sex
commixtae per nycthemerum digeruntur deindeque massam exprimendo colantur. Colatura ad siccum evaporatione reducta pulveratur et in vasis bene clausis servatur.
Pulveris hujusce scrupulus unus in
Aquae destillatae uncia una
ad usum ex tempore solvitur.

Infusum Sennae.

Foliorum Sennae drachmae sex,
Aquae destillatae tepidae quantum satis,
 ut fiat colatura unciarum sex, per horam macerantur.

Infusum Sennae compositum.

Seminum Coriandri contusorum scrupulus unus et
Foliorum Sennae drachmae tres
Aquae destillatae tepidae quantitate sufficiente
 perfunduntur et per horam maceratae colantur.
 In colatura calefacta solvuntur
Tartratis kalici drachma una et dimidia,
Mannae cannelatae uncia una.
 Liquor denuo colatus unciarum quattuor sit oportet.

Jodetum ferrosus saccharatum.

Jodi partes tres
 in lagenam immissae perfunduntur
Aquae destillatae partibus quinque,
 quibus deinde sensim, continuam inter quassationem, additur
Ferri limati pars una.
 Mixtione dum liquor virescat calefacta, hic limpidus transfunditur in patinam porcellanam, cui indita est
Sacchari Lactis pulverati partes octo
 et in balneo vaporis exhalatur donec massa tenax evadat, quo facto eadem ope pistilli subigitur cum
Sacchari Lactis pulverati partibus quattuor
 vel ea quantitate, ut in pulverem commutetur ponderisque sit partium duodeviginti. Ex tempore paratur.

Jodetum hydrargyricum rubrum.**Deutojodetum Hydrargyri.**

Chloreti hydrargyrici corrosivi uncia una
solvitur in

Aquae destillatae calidae unciis duodeviginti.
Solutio filtrata tota simul inter agitandum infunditur solu-
tioni e

Jodeti kalici drachmis decem et
Aquae destillatae unciis quattuor
paratae et filtratae. Praecipitatum in filtro collectum atque
aqua destillata bene edulcoratum leni calore siccatur et in
vitro bene clauso servatur.

Jodetum hydrargyrosum.**Protojodetum Hydrargyri.**

Jodi drachmae quinque et
Hydrargyri depurati uncia una
in mortario porcellano, portiunculis parvis

Spiritus Vini rectificatissimi
identidem additis ut massa semper humida sit, conteruntur
donec mixtio colorem trahat flavo-viridem et hydrargyrum
metallicum ne armato quidem oculo conspiciatur. Tum ad-
versus lucem diurnam protecta Spiritu Vini rectificatissimo
calido probe eluitur et leni calore in loco obscuro siccata
in vitro non pellucido bene clauso servatur.

Jodetum kalicum.

Hydratis kalici puri lixivii recens parati et nondum exhalati
libris decem
leviter calefactis continuam inter agitationem minutatim
admiscentur

Jodi unciae circiter quindecim

vel tantum, ut liquor colorem ducat fuscum non evanescentem. Solutio, cum

Carbonis Ligni pulverati pondere parti decimae jodi adhibiti aequali

commixta, leni calore continue agitata ad siccitatem perfectam in patina vel sartagine ferrea evaporat; quo facto massa sicca ope carbonis candentis accenditur et, detonatione peracta, post levem ignitionem refrigerata, in aquae destillatae aequipondio solvitur. Liquor filtratus ad crystallisationem redigitur lenta evaporatione, iteranda quamdiu crystalli obtinentur neutrales, quae siccatae in vitro bene clauso servantur.

Jodetum plumbicum.

Acetatis plumbici depurati drachmae novem

solutae in

Aquae destillatae libra una,

cui instillatae fuerunt

Acidi acetici guttae aliquot,

inter agitationem infunduntur solutioni filtratae

Jodeti kalici unciae unius in

Aquae destillatae unciis decem.

Praecipitatum filtro collectum pauxillo aquae destillatae abluitur et inter chartam bibulam siccatum in vitro non pellucido clauso servatur.

Jodum.

Kermes minerale.

Hydrosulphuretum stibiosum.

Carbonatis natrici depurati crystallisati librae duae

solvuntur in

Aquae destillatae libris viginti.

Solutioni filtratae, in olla ferrea nitida ad ebullitionem aliquamdiu calefactae, minutatim additur

Sulphureti stibici factitii laevigati uncia una;

quo facto liquor spathula lignea agitatus per horae dimidium vel dodrantem ulterius coquitur et deinde per filtrum aqua fervente humectatum adhuc fervidus colatur in vas calefactum, quod coopertum refrigerationi quam lentissimae derelinquitur. Praecipitatum, sponte horis viginti quattuor praeterlapsis natum, in filtro colligitur et cum aqua destillata cocta, in vase exinde impleto beneque clauso refrigerata, perfecte elotum, inter plagulas chartae bibulae multiplicatas exprimitur deindeque ad temperaturam $+ 20^{\circ}$ aut $+ 25^{\circ}$ loco tenebroso caute siccatur, in pulverem redigitur subtilissimum et denique in vase vitreo sicco non pelucido beneque clauso servatur.

Kino.

Pterocarpus Marsupium ROXB.

Lac vaccinum.

Lactucarium anglicum.

Lactuca virosa LIN.

Lactuca sativa LIN.

Lapis divinus.

Nitratis kalici depurati,

Sulphatis aluminico-kalici depurati,

Sulphatis cuprici puri, singulorum uncia una,

pulveratae miscentur et in patina porcellana modico igne liquefiunt. Patina ab igne remota et

Camphorae depuratae pulveratae drachma una citissime massae admixta, ea liquefacta super laminam nitidam cupream aut porcellanam effunditur et refrigerata atque comminuta in vase vitreo bene clauso servatur.

Lichen Carragheen.

Sphaerococcus crispus AGARDH, *Fucus crispus* LIN.

Lichen islandicus.

Cetraria islandica ACH., *Lichen islandicus* LIN.

Lichen islandicus amaritie privatus.

Lichen islandicus praeparatus.

Lichenis islandici concisi librae octo perfunduntur tanta quantitate aquae frigidae, in qua soluta est

Carbonatis kalici venalis libra dimidia, ut inde contegantur. Maceratione lichenis, interea saepius agitati, per horas viginti quattuor facta, liquor defunditur et lichen aqua pura frigida, quamdiu haec saporem amarum aut alkalinum ducit, ablutus exprimitur atque leni calore siccatur.

Lignum Guajaci.

Lignum sanctum.

Guajacum officinale LIN.

Lignum Juniperi (radicis.)

Juniperus communis LIN.

Lignum Quassiae surinamensis.

Quassia amara LIN.

Lignum Sassafras (radix cum cortice.)

Sassafras officinalis NEES, Laurus Sassafras LIN.

Linctus boracicus.**Mel rosatum boraxatum.***Biboratis natrici* pulverati drachma una
solvitur in*Mellis rosati* uncia una.

Ex tempore paratur.

Linctus oleosus.**Mucilago oleosa.***Gummi arabici* pulverati drachmis duabus et
Aquae Amygdalarum amararum dilutae unciae dimidia,
in mortario contritis, admiscentur*Olei Amygdalarum expressi* drachmae sex et*Syrupi Amygdalarum* uncia una.

Paratur ex tempore.

Linimentum Ammoniaci.**Linimentum volatile.***Liquoris Ammoniaci caustici* uncia una et dimidia
quassando commiscetur cum*Olei Olivarum communis* unciis tribus.Paratur non nisi ut mox aut intra brevius temporis spa-
tium consumatur et in vase vitreo bene clauso servatur.**Linimentum Ammoniaci camphoratum.****Linimentum camphoratum.***Liquoris Ammoniaci caustici* uncia una et dimidia,

Olei Olivarum camphorati unciae tres
quassando commiscentur.

Ex tempore paratur.

Linimentum calcicum.

Olei Lini,

Aquae Calcis, utriusque partes aequales,
quassando commiscentur.

Ex tempore paratur.

Linimentum Saponis camphoratum.

Linimentum saponaceum.

Saponis hispanici albi rasi unciis duabus et

Spiritus Millefolii compositi librae uni

digestis, donec solutus fuerit sapo, admiscetur

Camphorae depuratae uncia dimidia.

In loco non nimis frigido servatur.

Liquor Acetatis ammoniaci.

Acidi acetici librae uni

minutatim inter agitationem admiscentur

Liquoris Ammoniaci caustici unciae novem

vel tantum, ut omnino neutralis evadat liquor, quo facto

Aquae destillatae ea quantitate

diluitur, ut pondus ejusdem specificum sit 1,04. In lagena
bene clausa servatur.

Liquor Acetatis ammoniaci dilutus.

Spiritus Mindereri.

Liquoris Acetatis ammoniaci,

Aquae destillatae, utriusque partes aequales,

commixtae filtrantur. In vitro bene clauso servatur.

Liquor Acetatis kalici.

Acetatis kalici pars una

Aquae destillatae partibus duabus

solvitur et filtratur.

Ex tempore paratur.

Liquor Acetatis kalici dilutus.

(loco **Mixturae salinae pauperum.**)

Carbonatis kalici depurati drachmae tres

saturantur

Acidi acetici diluti unciis sex

vel quantitate sufficiente, ut acidulus fiat liquor, qui, additis

Syrupi Sacchari uncia una et

Aquae destillatae copia, quanta requiritur ut pondus mixtionis sit libra una, filtratur.

Ex tempore paratur.

Liquor Acidi citrici.

(loco **Succi Citri.**)

Acidi citrici drachma dimidia in

Aquae destillatae uncia una

solvitur et filtratur.

Paratur ex tempore.

Liquor Ammoniaci anisatus.

Spiritus Vini rectificatissimi unciis sex,

commixtis cum

Olei Anisi drachma una et dimidia,

adduntur

Liquoris Ammoniaci caustici drachmae duodecim.

In vitro bene clauso servatur.

Liquor Ammoniaci caustici.

Orificio cucurbitae vitreae amplae, longo collo praeditae et balneo arenae impositae, adaptatur obturamentum subereum, cui insertus est tubus inflexus vitreus vel plumbeus in lagenam inanem, tubulis duobus instructam, per obturaculum tubuli unius penetrans. Tubulo ejusdem lagenae alteri similiter aptatus tubus vitreus incurvus inde deducitur in alteram lagenam, ut fundum ejusdem prope attingat. Haec lagena, octo librarum capax, cui infunduntur

Aquae destillatae librae quinque,

non est obturanda sed leviter tantummodo tegenda et inter operationem ope aquae quam gelidissimae refrigeranda. Tubulis autem lagenae prioris vesica madida optime obligatis, in cucurbitam returatam immittitur mixtio bene agitata e

Calcis ustae libris tribus cum unciis novem,

quae minutatim perfusae sunt

Aquae calidae libra una vel quantitate sufficiente ut in pulverem dilabantur, et

Chloreti ammoniaci venalis pulverati libris tribus

in vase idoneo parata, quo facto et insuper affusis

Aquae frigidae libris tribus,

cucurbita citissime clauditur obturamento suo supra memorato, vesica humida, ne devium avolet gas evolutum, circumvelando. Deinde balneum arenae caute et igne paullatim non vero nimis aucto est calefaciendum quamdiu continuatur gasis evolutio; quae ubi cessare apparuerit, lagena ultima mox removetur et liquor, quem continet eadem, aquae destillatae tanta copia diluitur, ut pondus specificum 0,96 obtineat, demumque in lagena vitrea, epistomio vitreo depolito bene munita, loco frigido servatur.

Nota. Occasione data, pro cucurbita vitrea adhiberi potest vas idoneum ferreum fusum, super prunis calefaciendum.

Liquor Ammoniaci caustici spirituosus.

Alcohol ammoniacatus.

Liquoris Ammoniaci caustici unciae duae,

Spiritus Vini rectificatissimi unciae sex

commiscentur. In lagena embolo vitreo depolito clausa servatur.

Liquor Arsenitis kalici.

Solutio arsenicalis Fowleri.

Acidi arsenicosi,

Carbonatis kalici puri, utriusque grana sexaginta quattuor,

Aquae destillatae unciae sedecim

in vase vitreo ad plenam solutionem coquuntur. Liquor post refrigerationem filtratus tanta aquae destillatae copia diluitur, ut pondus ejusdem uncias sedecim efficiat. In vase vitreo cautissime servatur.

Liquor Carbonatis kalici.

Lixivium Tartari.

Carbonatis kalici depurati unciae duae

solvuntur in

Aquae destillatae unciis quattuor.

Solutio filtrata in vitro epistomio vitreo obturato servatur.

Liquor Chloreti morphici.

(Loco *Tincturae sedativae Magendie*.)

Chloreti morphici scrupulus unus

solvitur in

Aquae destillatae drachmis novem,
 cui solutioni additur
Spiritus Vini gallici drachma una
 miscelaque deinde filtrata in vitro bene clauso servatur.

Liquor Chlori.

Aqua Chlori vel oxymuriatica.

Apparatu constructo, qualis ad Acidum hydrochloricum parandum adhibendus describitur, cucurbitae immittitur *Superoxidi manganici nativi* pulverati pars una; lagenae mediae tubulatae infunditur aquae destillatae tantum, ut extremitas tubi e cucurbita deducti in eadem sit submersa, et lagenae extremae, ad duos trientes inde replendae, ingeruntur

Aquae destillatae frigidae partes duodetriginta.

Commissuris omnibus, orificio lagenae ultimae, quod laxe tegitur, excepto, ope luti spissi e bolo atque oleo lini parati clausis, vesicaque madida obligatis, ne gas avolare possit, per tubum securitati inservientem in cucurbitam infunditur mixtio

Acidi hydrochlorici partium trium et

Aquae partis unius,

balneumque arenae calore caute afficitur quamdiu continuat gasis evolutio, lagena utraque interea ope aquae gelidae probe refrigerata.

Liquor, in ultima lagena collectus, in vitris inde repletis, parvis, non pellucidis et embolo vitreo obturatis, loco frigido servatur.

Liquor Citratis kalici.

Mixtura salina.

Carbonatis kalici puri drachmae tres
 saturantur

Liquoris Acidi citrici unciis sex
seu quantitate sufficiente, et solutio, postquam eidem ad-
mixta fuerint

Syrupi Sacchari uncia una et
Aquae destillatae tantum

ut pondus totius libram unam efficiat, filtratur.

Ex tempore paratur.

Liquor Hydratis kalici.

Lixivium Saponariorum.

Hydratis kalici pars una

solvitur in

Aquae destillatae partibus duabus.

Solutio, si forsan turbida sit, lagenae inde replendae et
bene obturandae immissa, requieti traditur et, sedimento de-
posito, quantum fieri potest limpida defunditur.

Paratur ex tempore.

Liquor Hypochloritis calcici.

Hypochloritis calcici uncia una

in mortario porcellano conteritur cum

Aquae destillatae libra una

et liquor, postquam resederint particulae insolubiles, filtratur.

Paratur ex tempore.

Liquor Nitratis hydrargyrosi.

Liquor Bellosti.

Hydrargyri depurati unciae quattuor

in patina porcellana cum

Acidi nitrici diluti unciis quattuor

loco non admodum calido macerantur. Nychthemero prae

terlapso, crystalli a liquore separatae, pauxillo aquae destillatae frigidae cum vigesima sui ponderis parte Acidi nitrici diluti commixtae, abluuntur et inter chartam bibulam saepius mutatam pressae nec calefactae siccantur.

Crystallorum ita paratarum uncia una
solvitur in mixtione

Acidi nitrici diluti scrupulorum trium et dimidii
atque

Aquae destillatae unciarum octo
et solutioni filtratae admisceetur, si opus sit,

Aquae destillatae tantum
ut pondus ejusdem specificum evadat 1,10. In vitro epistomio vitreo bene clauso servatur.

Liquor pyrotartaricus.

Acidum pyrotartaricum.

Liquor Sesquicarbonatis ammonici pyroleosi.

Liquor Cornu Cervi alkalinus.

Sesquicarbonatis ammonici pyroleosi uncia una in
Aquae destillatae unciis quattuor
solvitur. Solutio, diebus quibusdam praeterlapsis, filtratur et in lagena epistomio vitreo clausa servatur.

Liquor Subacetatis plumbici.

Acetum saturninum vel plumbicum.

Oxidi plumbici venalis praeparati unciae sex,
Acetatis plumbici venalis unciae viginti,
Aquae destillatae librae octo
commixtae in lagena bene obturata ejus capacitatis, ut inde repleatur, interdumque quassatae macerantur donec sedimen-

tum pro rubro sumserit colorem album. Solutio filtrata in vitro bene clauso servatur.

Liquor Succinatis ammonici pyroleosi.

Liquor Cornu Cervi succinatus.

Acidi succinici depurati et

Sesquicarbonatis ammonici pyroleosi, utriusque uncia una,

in mortario porcellano conteruntur et in

Aquae destillatae unciis quinque et dimidia,

paullatim additis, solvuntur. Solutio, si opus fuerit, Sesqui-

carbonate ammonico pyroleoso ulterius addito perfecte sa-

turata atque

Aquae destillatae quantitate sufficiente,

ut pondus obtineat specificum 1,06, diluta, post horas quat-

tur et viginti filtratur et in lagena epistomio vitreo bene

occlusa servatur.

Liquor Sulphatis ferrici.

Sulphatis ferrosi unciae octo

in cucurbita satis capace cum

Acidi sulphurici puri drachmis duodecim et

Aquae destillatae unciis octo

commixtae coquantur,

Acido nitrico concentrato

interdum, quamdiu vapores acidi nitrosi evolvuntur, minu-

tatim instillato donec liquor colorem duxerit fusco-flavum

atque in portiuncula ejusdem exemta praecipitatum coeru-

leum a Cyaneto ferrico-kalico rubro non amplius efficiatur.

Solutio deinde in patina porcellana evaporat dum Acidum

nitricum excedens exhalaverit, quo facto refrigerata atque

aquae destillatae ea quantitate diluta, ut pondus librarum

duarum obtineat, filtratur.

In vase vitreo non pellucido, epistomio vitreo depolito obturato servatur.

Nota. Duae librae hujus liquoris semper in officina prostabunt.

Liquor Sulphatis magnesici carbonicus.

Aqua amara.

Sulphatis magnesici depurati librae duae solvuntur in

Aquae destillatae libris quattuordecim

et solutio filtrata in apparatu idoneo, eundem in modum, qui ad Aquam Acidi carbonici parandam praescriptus fuerit,

Gase Acidi carbonici

saturatur, eodemque modo, in lagenis vitreis unciarum circiter decem, servatur.

Macis.

Myristica moschata THUNB.

Magnesia alba.

Carbonas magnesicus cum Hydrate magnesico.

Magnesia usta.

Magnesia pura.

Magnesia alba pulverata

in crucibulo operto lenta sub agitatione leviter ignitur donec specimen exemtum aqua commixtum et acido sulphurico diluto perfusum non effervescat. In vase vitreo bene clauso servatur.

Manna cannelata vel electa.

Ornus europaea PERS. *Fraxinus Ornus* LIN.

Mel album et flavum.*Apis mellifica* LIN.**Mel despumatum.****Mel depuratum.***Mellis albi* librae duodecim*Aquae calidae* libris quattuor

diluuntur iisdemque sub agitatione admiscuntur

Ovorum gallinaceorum albumina quattuor,

antea aquae pauxillo addito in spumam agitata. Mixtio in lebete stanno obducto ad lentam ebullitionem calefacta per pannum laneum vicibus repetitis, usque dum limpida pertranseat, colatur atque ita depurata in balneo aquae assiduam inter agitationem ad spissitudinem syrupi evaporat. In loco subfrigido servatur.

Mel rosatum.*Petalorum Rosarum siccatorum* unciae quattuor

perfunduntur

Aquae fervidae libris duabus

et per horas duodecim macerantur. Dein, admixtis

Mellis despumati libris quattuor,

in balneo vaporis sub agitatione ad spissitudinem syrupi evaporant. Per pannum laneum colatum in loco frigidiusculo servatur.

Minium.**Superoxidum plumbicum cum Oxido plumbico.****Mixtura Chloreti ammonici.***Chloreti ammonici depurati* drachmae duae et*Succi Liquiritiae depurati* drachmae quattuor in

Aquae communis unciis sex
solutae colantur.

Ex tempore paratur.

Mixtura Hydratis ferrici et magnesi.

Mixtura antidotica.

Liquoris Sulphatis ferrici drachmae duae,

Aquae destillatae drachmis tribus

dilutae, cum

Hydratis magnesi in aqua drachmis septem

quassando miscentur.

Ex tempore paratur.

Mixtura pyrotartarica camphorata.

Mixtura diatrion vel simplex.

Acidi sulphurici diluti uncia una,

Liquoris pyrotartarici unciae tres et

Spiritus Vini camphorati (e Spiritu Vini rectificatissimo parati)

unciae quinque

commixtae tinguntur

Baccarum Myrtilli drachmis duabus.

Filtrata servatur in vase vitreo bene clauso.

Mixtura sulphurico-acida.

Elixir acidum Halleri.

Acidi sulphurici puri uncia una

guttatim et assidua sub agitatione admiscetur

Spiritus Vini rectificatissimi unciis tribus,

cavendo ne liquor calefiat. In vase vitreo epistomio vitreo clauso servatur.

Morphium.

Moschus tunquinensis.

Moschus moschiferus LIN.

Mucilago cretacea.**Emulsio cretacea.**

Carbonatis calcici nativi praeparati,
Sacchari albi pulverati, utriusque drachmae duae,
Gummi arabici pulverati uncia dimidia et
Aquae destillatae unctiae sex
 miscentur.

Ex tempore paratur.

Mucilago Gummi arabici.

Gummi arabici pulverati uncia una
 solvitur in

Aquae destillatae unciis duabus.

Sedimento deposito limpidus defunditur liquor, per tempus diuturnum non servandus.

Mucilago Saleb.(loco **Decocti Saleb.**)

Radici Saleb subtilissime pulveratae drachma una
 in lagena perfunditur

Aquae destillatae frigidae unciis duabus
 et iisdem, quassando bene commixtis, adduntur

Aquae destillatae fervidae unctiae decem;
 quo facto lagena, usque dum refrigeratus sit liquor, ulterius
 quassatur.

Paratur ex tempore.

Nitras argenteus fusus.**Lapis infernalis.**

Argentum venale
 digerendo cum

Acidi nitrici diluti quantitate sufficiente
dissolvitur. Liquor acidus, aquae destillatae volumine du-
plo dilutus, filtratur eidemque inter agitationem affunditur
solutio filtrata

Chloreti natrici

quamdiu aliquid dejicitur. Praecipitatum in filtro collectum
eluitur et deinde madidum adhuc patinae porcellanae im-
missum commiscetur

Sacchari albi pulverati volumine suo fere dimidio et

Liquoris Hydratis kalici volumine triplo

atque sub agitatione assidua et continua calefactum ad ebul-
litionem redigitur. Punctis quibusdam albidis Chloreti ar-
gentici non amplius conspicuis, pulvis reductus aqua destil-
lata plane elotus siccatur.

Argentum purum ita paratum dissolvitur

Acido nitrico diluto;

solutio

Aquae destillatae volumine duplo

temperata filtratur et in patina porcellana ad siccam eva-
porat massam, quae, leni calore liquefacta donec olei instar
fluat, in formas fistulosas calefactas et bene politas effundi-
tur. In vitro non pellucido bene clauso servatur.

Nitras kalicus crudus.

Nitrum crudum.

Nitras kalicus depuratus.

Nitras kalicus crudus in

Aquae destillatae pondere triplo

ebulliendo solvitur et solutioni ferventi minutatim additur

Liquor Carbonatis kalici

quamdiu praecipitatum efficiat; tum solutio evaporando con-

sumta donec pondus Nitratis duplum restet, per pannum laneum densum adhuc fervida colatur et denique in loco frigido spathula lignea continue agitatur, usque dum omnino refrigerata in massam salinam crystallisam granulosam sit conversa. Crystalli a lixivio separatae aqua destillata frigida paullulum abluuntur et siccatae servantur.

Nitras natricus depuratus.

Nitras natricus venalis

in aequali pondere aquae destillatae ferventis solvitur et solutio filtrata loco frigido ad crystallisandam seponitur. Crystallis exentis, lixivium, ad dimidias decoctum, eodem rursus modo collocatur ad crystallos novas ponendas, quae sicut etiam priores aquae destillatae frigidae pauxillo ablutae et dein siccatae in vase clauso servantur.

Nitras natricus venalis.

Natrum nitricum crudum.

Nitras strychnicus.

Strychnii pars una

conteritur cum

Aquae destillatae tepefactae partibus viginti quattuor,
quibus guttatim additur

Acidum nitricum dilutum

aquae destillatae dupla quantitate antea attenuatum, donec limpida facta sit solutio, quae dein ad crystallisationem caute evaporat. Crystalli super charta bibula siccatae in vitro bene clauso servantur.

Nux moschata.

Myristica moschata THUNE.

Nux vomica.

Strychnos Nux vomica LIN.

Olea.

In Oleis *aethereis* parandis pars una substantiae vegetabilis rite concisae aut contusae in vesica destillatoria vulgari perfunditur, si recens sit, aquae partibus quattuor vel quinque, si autem siccata fuerit, partibus ejusdem decem ad duodecim. Maceratione per horas duodecim facta, ad ebullitionem calefiunt illae et destillatum in excipulo sic dicto florentino colligitur. Quando oleum aquam transeuntem non amplius sequi visum fuerit, destillationi finis imponitur et, oleo diligenter separato, aqua transgressa, cum aqua commixta, novae portioni substantiae vel materiae vegetabilis infunditur, quae denuo subjicitur destillationi eodem modo iterandae, donec olei quantitas sufficiens obtenta fuerit. Occasione data, apparatus destillatorius ita constructus ut vapores tantummodo aquae substantiam vegetabilem permeent, qualis supra ad aquas destillatas parandas descriptus fuit, est adhibendus. In utrocumque tamen casu et capitellum vesicae et refrigeratorium stanno confecta esse oportet atque hoc inter destillandum bene refrigerari.

Olea aetherea in lagenis minoribus inde replendis et bene obturandis loco tenebroso et subfrigido servantur.

Olea *pinguia* aut expressione aut infusione parantur et ut olea aetherea servantur.

Oleum Amygdalarum expressum.*Amygdalae dulces*

in pulverem grossum contusae atque in balneo vaporis calefactae sacco cannabino firmo includuntur et inter laminas stanneas vel ferreas in aqua fervida calefactas premuntur.

Oleum expressum quieti aliquot dierum derelictum per chartam filtratur et in vase vitreo clauso loco frigido servatur.

Oleum animale foetidum.

Pyroleum Ossium.

Oleum animale rectificatum.

Pyroleum Ossium rectificatum.

Oleum animale Dippeli.

Olei animalis foetidi,

Carbonis Ligni praeparati, utriusque partibus aequalibus commixtis et retortae vitreae tubulatae ingestis, igne lenissimo fit destillatio quamdiu oleum transiens colore caret. Si vero destillatum flavidi sit coloris, iterum eodem modo est rectificandum. In lagenis vitreis perparvis bene clausis et sub aquam demersis loco obscuro servatur.

Oleum Anisi.

E *Seminibus Anisi* destillatur, refrigeratorio ad temperaturam $+6^{\circ}$ tantummodo frigefacto.

Oleum anthelminticum Chaberti.

Olei animalis foetidi unciae duae et

Olei Terebinthinae unciae sex

in retortam tubulatam balneo arenae impositam infunduntur, cavendo ne collum ejusdem inquinetur. Excipulo idoneo ope luti adjuncto, blando calore fit destillatio donec unciae sex transierint. Destillatum lagenis parvis non pelucidis mox immissum, in iisdem bene obturatis et in vase aqua impleto immersis, loco frigido servatur.

Oleum Cacao.

Butyrum Cacao.

Semina Cacao

leniter tosta atque integumentis privata in mortario ferreo calefacto in massam mollem homogineam subtilem teruntur, quo facto haec adhuc calida, sacco cannabino firmo inclusa, inter laminas ferreas vel stanneas aqua fervida calefactas torquetur. Oleum expressum, in balneo vaporis liquefactum locoque calido detentum, filtratur et in capsulas ferreas stanno obductas aut e charta glutinata confectas effusum, post refrigerationem in vitris bene clausis loco frigido servatur.

Oleum Cajeputi rectificatum.

Oleum Cajeputi venale,

commixtum cum

Aquae sextuplo pondere,

destillatur quamdiu liquor coloris expers transit. In vitro bene obturato servatur.

Oleum Cajeputi venale.

Melaleuca Cajeputi ROXB.

Oleum Carvi.

E *Seminibus Carvi* destillatur.

Oleum Caryophyllorum.

Caryophyllorum grandiuscule pulveratorum pars una perfunditur

Aquae partibus quattuor

fitque super igne vehementiori destillatio donec aquae partes duae cum dimidia transierint. Oleo fundum petente separato, aqua transgressa in caryophyllos eosdem refunditur, quo facto, et si opus fuerit aqua recente addita, eodem modo destillatur. Quae operationes, quamdiu oleum obtinetur, sunt repetendae.

Oleum Chamomillae citratum.(loco **Olei Chamomillae.**)

E Florum Chamomillae vulgaris recenter collectorum et siccatorem libris viginti additisque

Olei Citri drachmis quattuor destillatur.

Oleum Cinnamomi.

Cinnamomum ceylanicum NEES., *Laurus Cinnamomum* LIN.

Oleum Citri (Corticis fructuum.)**Oleum de Cedro.***Citrus medica* LIN.**Oleum Crotonis.***Croton Tiglium* LIN.*Croton Pavana* HAMILT.**Oleum Foeniculi.**

E Seminibus Foeniculi in modum *Olei Anisi* destillatur.

Oleum infusum Hyoseyami.

Foliorum Hyoseyami incisorum unciae tres

Spiritu Vini rectificatissimo humectatae perfunduntur

Olei Olivarum communis libra una

et per horas tres in vase stanneo vel fictili (minime vero cupreo) clauso, supra balneum vaporis calefacto, digestae exprimuntur et, humido omni ope balnei aquae exhalato, filtrantur. In vase vitreo clauso loco subfrigido servatur.

Oleum Jecoris Aselli flavum et fuscum.
Gadus Morrhuæ LIN. nec non aliae species Gadi.

Oleum Juniperi.
E *Baccis Juniperi* destillatur.

Oleum Lauri expressum.
Laurus nobilis LIN.

Oleum Lavandulae (Florum.)

Oleum Lini (Seminum.)

Oleum Menthae crispae.
Ex *Herba Menthae crispae* destillatione paratur.

Oleum Menthae piperitae.
Ex *Herba Menthae piperitae* destillatione elicitur.

Oleum Nucis moschatae expressum.
Balsamum vel Oleum Nucistae.
Myristica Moschata THUNB.

Oleum Olivarum camphoratum.
Camphorae depuratae tritae unctiae sex
solvuntur in
Olei Olivarum communis libra una et dimidia.
In vase clauso servatur loco frigidiusculo.

Oleum Olivarum commune et provinciale.
Olea europaea LIN.

Oleum Ricini.
Ricinus communis LIN.

Oleum Rosarum.

Plures species Rosae.

Oleum Rosmarini.**Oleum Anthos.**

Rosmarinus officinalis LIN.

Oleum Succini crudum.**Oleum Succini rectificatum.**

Ex *Oleo Succini crudo* eodem modo quo *Oleum Cajeputi* rectificatum paratur.

Oleum Tanaceti.E *Summitatibus Tanaceti* destillatione elicitur.**Oleum Terebinthinae crudum.**

Pinus sylvestris LIN.

Pinus Abies LIN.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Ex *Oleo Terebinthinae crudo* ut *Oleum Cajeputi* rectificatum destillatur.

Oleum Valerianae.E *Radice Valerianae minoris* destillatur.**Olibanum.**

Boswellia serrata COLEBROOK.

Opium levanticum vel smyrnaeum.

Papaver somniferum LIN.

Ossa usta alba.(loco **Cornu Cervi usti.**)

Ossa recentia, adipe et carne bene privata, in fornace ad albedinem perfectam comburuntur atque post refrigerationem a cinere carbonibusque mundata in pulverem subtilem rediguntur et in vase tecto servantur.

Ovum gallinaceum.**Oxidum ferricum nativum.****Lapis haematites.****Oxidum ferroso-ferricum.****Aethiops martialis.**

Sulphatis ferrosi unciae duae et dimidia
solutae in

Aquae destillatae unciis decem
deinde, additis

Acidi sulphurici puri drachmis tribus,
coquantur, instillando

Acido nitrico,
sicut ad *Liquorem Sulphatis ferrici* parandum praescribitur. Solutioni ita paratae admiscentur

Sulphatis ferrosi drachmae duodecim,
solutae in

Aquae destillatae unciis sex,
et mixtioni inter agitandum adduntur

Liquoris Ammoniaci caustici unciae quinque et quod excurrit,
quamdiu praecipitatum nascitur, quod una cum liquore in olla ferrea nitide mundata ad lentam ebullitionem fovetur donec illud nigrum factum ad fundum vasis facile resederit.

Sedimentum in filtro collectum aqua destillata eluitur, quamdiu liquor pertransiens Acidum sulphuricum continet et leni calore siccatum in vitro bene clauso servatur.

Oxidum hydrargyricum.

Mercurius praecipitatus ruber.

Chloreti hydrargyrici corrosivi unciae duae
solvuntur in

Aquae destillatae libris quattuor,
et solutio filtrata ope

Liquoris Hydratis kalici,

inter agitationem additi, praecipitatur. Sedimentum cum liquore kalino excedente digestum, usque dum colorem duxerit luteum, aqua destillata, quamdiu haec vestigium ostendit Chlori, eluitur et leni calore siccatum asservatur in vitro non pellucido.

Oxidum hydrargyrosus.

Mercurius solubilis Hahnemanni.

Liquoris Ammoniaci caustici spirituosus drachmis duodecim et
Spiritus Vini rectificatissimi librae uni
commixtis, continua sub agitatione, instillatur

Liquoris Nitratis hydrargyrosi recenter parati tantum,
ut acidula fiat mixtio. Praecipitatum interea decidens a luce diurna protectum filtro colligitur et, postquam liquor spirituosus defluerit, aqua destillata pluries infusa ablutum, inter plagulas chartae bibulae multiplicatas modico calore locoque tenebroso siccatur. In vitro non pellucido servatur.

Oxidum plumbicum venale.

Lithargyrium anglicum.

Oxidum stibicum.

Sulphureti stibici nativi praeparati libra una
 in cucurbita vitrea capace digeritur cum
Acidi hydrochlorici venalis libris quattuor,
 quamdiu dissolvi aliquid apparet et gas Sulphidi hydrici e-
 volvitur. Dein liquor, a residuo non soluto defusus et ad
 ebullitionem calefactus, dum odorem non amplius exhalave-
 rit Sulphidi hydrici, filtratur et in vas continens
Aquae destillatae libras sexaginta quattuor,
 quae continuo agitantur, infunditur. Praecipitatum, aqua
 destillata bene elotum, solutione e
Carbonatis natrici depurati crystallisati unciis duabus et
Aquae destillatae libra una
 parata per horas aliquot digeritur, deindeque, liquore lim-
 pido defuso, aqua destillata, quamdiu haec vestigia aut Car-
 bonatis aut Chloreti natrici prodit, edulcoratum, siccatur et
 in vasis bene clausis servatur.

Oxidum zincicum (via humida paratum.)

Carbonatis natrici depurati crystallisati unciæ sex
 solvuntur in
Aquae destillatae libris decem.
 Liquori filtrato atque ad ebullitionem calefacto identidem
 inter agitandum minutatim affunditur solutio e
Sulphatis zincici unciis sex et
Aquae destillatae libra una et dimidia,
 ita ut per intervalla additionis praecipitatum floccosum in
 pulverem graviter residentem convertatur; quod, ebullitione
 non interrupta, continuatur donec liquor fervens alkalinam
 amiserit reactionem, simul cavendo ne excessus Sulphatis
 zincici eveniat. Praecipitatum in filtro collectum aqua de-
 stillata fervida eluitur, quamdiu liquidum pertransiens solu-

tione Chloreti barici turbatur, deindeque siccatum et subtiliter contritum in crucibulo leviter tecto igitur usque dum portiuncula exenta et aqua humefacta acido sulphurico diluto immixta effervescentiam fere nullam excitet. Oxidum ignitum, aqua destillata fervida denuo probe edulcoratum, siccatur et in vitris bene oclulis servatur.

Oxidum zincicum (via sicca paratum.)

Flores Zinci.

Oxymel Scillae.

Aceti Scillae libra una et

Mellis despumati librae duae,

in patina porcellana commixtae, inter agitandum in balneo aquae evaporant donec restent librae duae, quae per pannum laneum colatae, in vase probe clauso, loco subfrigido servantur.

Oxymel simplex.

Eodem modo, quo Oxymel Scillae, ex *Aceto Vini* paratur et servatur.

Pasta gummosa.

(loco **Pastae Althaeae.**)

Gummi arabici albissimi, electi in frustulis,

Sacchari albi, utriusque unciae sedecim,

Aquae destillatae librae quattuor,

commixtae saepiusque agitatae, donec solutae fuerint, macerantur. Solutio per pannum laneum colata, inter continuam agitationem, leni calore in lebete stanneo ad spissitudinem mellis crassioris evaporat, deindeque, lebete ab igne remoto,

Ovorum gallinaceorum albumina viginti,
 antea cum
Aquae Florum Aurantium unciis duabus
 in spumam densiorem agitata, paullatim admiscentur. Massa
 supra ignem lentissimum ad spissitudinem mellis densioris
 denuo redacta in capsulas chartaceas defunditur et calore
 modico siccatur. Pasta a papyro separata et in frustula con-
 cisa loco arido servatur.

Petala Rosarum, et salita et siccata.

Rosa centifolia LIN.

Petroleum.

Oleum Petrae.

Phosphas calcicus.

Chlorethi calcici sicci unciae tres

solvuntur in

Aquae destillatae libra una

et liquor filtratus admiscetur solutioni e

Phosphatis natrici unciis quinque et

Aquae destillatae libra una et dimidia

paratae. Sedimentum in filtro exceptum atque cum aqua
 destillata, dum liquor pertransiens a solutione Nitratis ar-
 gentici non amplius turbetur, lavatum leni calore siccatur
 et in vitro servatur.

Phosphas natricus.

Acidi phosphorici diluti unciis sex,

Aquae destillatae libra una

ulterius attenuatis atque in patina porcellana ad ebullitio-
 nem calefactis,

Carbonatis natrici depurati crystallisati unctiae quinque cum quadrante

minutatim et sub agitatione admiscetur, quo facto, solutio adhuc fervida filtrata loco subfrigido ad crystallisandum seponitur. Lixivium a crystallis defusum et ad dimidias evaporatione consumptum rursus refrigeratur. Omnes quae obtinentur crystalli aquae destillatae pauxillo abluuntur et ad ordinariam aëris temperaturam, inter chartam bibulam pluries mutata, siccantur. In vitro bene obturato servantur.

Nota. Crystalli opacae vel in pulverem dilapsae denuo sunt crystallisandae.

Phosphorus.

Pilulae.

Copia pilularum non nimia et in vasis tantummodo optime clausis est servanda.

Seminibus Lycopodii, nisi aliud praescriptum fuerit, consperguntur.

Pilulae Chloreti hydrargyrici corrosivi.

Chloreti ammonici depurati,

Chloreti hydrargyrici corrosivi, utriusque scrupulus unus, solvitur in

Aquae destillatae quantitate sufficiente

ut, additis

Sacchari albi pulverati scrupulo uno et

Panis tritici pulverati drachmis duabus

et commixtis, fiat massa unde formantur pilulae aequales centum et sexaginta, leni calore siccandae.

Ex tempore parantur.

Pilulae Colocynthis compositae.

Caryophyllorum scrupulus unus,
Resinae Jalappae scrupuli duo,
Chloreti hydrargyrosi mitis drachma una,
Extracti Colocynthis compositi drachmae duae et dimidia,
 pulveratae commiscentur
Syrupi Sacchari quantitati sufficienti
 ut fiat massa, e qua formantur pilulae aequales centum
 triginta quinque.

Pilulae Hydrargyri.

Hydrargyri depurati drachmis duabus et
Conserve Rosarum drachmis tribus
 mixtis et contritis, donec globuli Hydrargyri prorsus dispa-
 ruerint, adjicitur
Radici Liquiritiae pulveratae drachma una
 et fit massa, in pilulas ducentas et quadraginta aequa-
 les statim dividenda.

Pilulae Nitratis argentici.

Nitratis argentici fusi grana decem
 solvuntur in
Aquae destillatae quantitate sufficiente,
 solutionique admiscuntur
Radici Althaeae pulveratae drachmae duae et
Syrupi Sacchari quantum satis,
 ut fiat massa, e qua formantur pilulae aequales sexaginta.
 Ex tempore solummodo parantur.

Piper hispanicum.

Capsicum annuum LIN.

Piper nigrum.

Piper nigrum LIN.

Pix liquida et solida.**Plumbum.****Poma Aurantii.****Pulpa Tamarindorum depurata.****Extractum Tamarindorum.**

Fructus Tamarindi orientalis librae quinque,
a seminibus purgatae in patina porcellana perfunduntur

Aquae destillatae libris quindecim,
et per horam dimidiam coctae colantur et exprimuntur. Re-
siduum eodem modo denuo cum

Aquae destillatae libris decem
tractatur, et liquores commixti ac filtrati inter agitationem
ad spissitudinem mellis evaporant, deindeque

Sacchari albi pulverati tantum
admiscetur, ut pondus totius sit librae quinque.

Pulveres.

Materiae vegetabiles molles et tenaces pulverandae antea
calore, temperaturam $+ 100^{\circ}$ non superante, siccandae
sunt. Inde tamen excipiuntur Gummi-resinae, quas hieme in
frigore acri pulverari oportet, et substantiae aromaticae,
quae ad ordinariam aëris temperaturam vel hieme in con-
clavi calefacto, loco a fornace remoto, siccantur.

Substantiae, quarum massa tota homogenea est, sine re-
siduo pulverantur; in iis autem pulverandis, quae partes
molliores, lignosas vel fibrosas, non efficaces continent, hae
sunt rejiciendae.

Castoreum hieme tantum in frigore pulveretur necesse est, residuo membranoso rejecto.

In pulveratione cum aqua addita (quae praeparatio s. laevigatio vocatur) instituenda, non nisi Aqua destillata adhibeatur.

Pulveres ad usum internum adhibendi subtilitate sint, quanta secundum naturam suam esse possunt, maxima. Portiones singulae materiae ejusdam vegetabilis, in pulverem redactae, inter se diligenter sunt commiscendae et in vasis bene clausis, a lumine solari protectae, servandae; quod quidem etiam circa pulveres compositos valet.

Pulvis gummosus.

Gummi arabici pulverati,

Radiciis Althaeae pulveratae,

Sacchari albi pulverati, singulorum unciae duae,
miscentur.

Pulvis gummosus stibiatus.

Kermetis mineralis pars una,

Sacchari albi pulverati partes septem,

Pulveris gummosi partes triginta duae
miscentur.

Pulvis Jalappae hydrargyratus.

Chloreti hydrargyrosi mitis drachma una cum

Radiciis Jalappae pulveratae drachmis tribus
miscetur.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Pulvis Doweri.

Opii levantici pulverati,

Radicis Ipecacuanhae pulveratae, utriusque drachma una,
Sulphatis kalici depurati pulverati uncia una
 miscentur.

Pulvis Ipecacuanhae stibiatus.

Pulvis emeticus.

Tartratis stibico-kalici pulverati grana duo,
Radicis Ipecacuanhae pulveratae grana decem,
Sacchari albi pulverati grana octo
 commiscentur.

Pulvis Magnesiae compositus.

Pulvis galactopocus.

Flavedinis Aurantii pulverati,
Sacchari Lactis pulverati,
Seminum Foeniculi pulveratorum, singulorum drachmae duae,
Magnesiae albae pulveratae uncia una
 miscentur.

Pulvis Magnesiae foetidus.

Magnesiae albae pulveratae drachmae quattuor,
Radicis Rhei pulveratae,
Gummi-resinae Assae foetidae pulverati, utriusque drachmae
 tres,
Radicis Columbo pulveratae drachma una
 miscentur.

Pulvis Natri tartaricus.

Pulvis aërophorus.

Acidi tartarici pulverati,
Bicarbonatis natrici pulverati, utriusque drachmae quattuor,
Sacchari albi pulverati uncia una,

Olei Menthae piperitae guttae sex
commiscentur.

Ex tempore paratur.

Pulvis Nitri tartaricus.

Pulvis nitrosus.

Bitartratis kalici depurati,

Nitratis kalici depurati, utriusque uncia una,

Sacchari albi unciae tres,

seorsim pulveratae miscentur.

Pulvis Rhei cum Magnesia.

Pulvis infantum.

Magnesiae albae pulveratae,

Sacchari albi pulverati,

Seminum Foeniculi pulveratorum, singulorum drachmae quatuor,

Radicis Rhei sibirici pulveratae uncia una
commiscentur.

Pulvis Rhei salinus.

Pulvis digestivus.

Radicis Rhei sibirici pulveratae,

Sulphatis magnesici depurati siccati, pulverati, utriusque partes
aequales,

miscentur.

Pulvis stypticus.

Pulvis haemostaticus.

Gummi arabici pulverati,

Resinae flavae pulveratae,

Sulphatis aluminico-kalici depurati, singulorum partes aequales,
commiscentur.

Putamina Nucum Juglandis.

Juglans regia LIN.

Quercitannas plumbicus.

Corticis Quercus contusi uncia una cum

Aquae destillatae quantitate sufficiente

per tres horae quadrantes coquitur, ut colatura unciarum
circiter sex obtineatur. Decoctum sedimento deposito de-
funditur, eidemque instillatur

Liquor Subacetatis plumbici

quamdiu aliquid deiecitur. Praecipitatum in filtro collectum
atque aqua destillata elotum in forma mucilaginis spissio-
ris dispensatur.

Paratur ex tempore.

Nota. E *Corticis Quercus* uncia obtinetur circiter sem-
uncia *Quercitannatis plumbici*.

Radix Althaeae decorticata.

Althaea officinalis LIN.

Radix Angelicae.

Archangelica sativa FRIES, *Angelica Archangelica*
var. *sativa* LIN.

Radix Arnicae.

Arnica montana LIN., *Doronicum montanum* LAM.

Radix Artemisiae (Fibrillae.)

Artemisia vulgaris LIN.

Radix Bardanae.

Aretium Lappa LIN.

Radix Belladonnae.

Atropa Belladonna LIN.

Radix Calami decorticata.

Acorus Calamus LIN.

Radix Caricis arenariae.

Carex arenaria LIN.

Radix Caryophyllatae.

Geum urbanum LIN.

Radix Chinae.

Smilax China LIN.

Radix Columbo.Cocculus palmatus DE CAND., Menispermum
palmatum LAM.**Radix Curcumae.**

Amomum Curcuma JACQ., Curcuma longa LIN.

Radix Enulae.

Inula Helenium LIN.

Radix Filicis maris (Bases frondium.)

Aspidium Filix mas SWARTZ, Polypodium Filix mas LIN.

Radix Galangae.

Alpinia Galanga SWARTZ.

Radix Gentianae rubrae.

Gentiana lutea LIN.

Radix Graminis.

Triticum repens LIN.

Radix Hellebori albi.

Veratrum album LIN.

Radix Jalappae.

Exogonium Purga BENTHAM, Convolvulus Purga WENDER.

Radix Ipecacuanhae.

Cephaëlis Ipecacuanha TUSSAC.

Radix Iridis florentinae decorticata.

Iris florentina LIN.

Radix Liquiritiae decorticata.

Glycyrrhiza echinata LIN.

Glycyrrhiza glabra LIN.

Radix Ratanhiae.

Krameria triandra RUIZ.

Radix Rhei sibirici.

Plures species Rhei.

Radix Saleb.

Plures species Orchidis.

**Radix Sarsaparillae de Honduras
vel Lisbonensis.**

Plures species Smilacis.

Radix Scillae.

Scilla maritima LIN.

Radix Senegae.

Polygala Senega LIN.

Radix Taraxaci.

Taraxacum officinale WIGGERS, Leontodon Taraxacum LIN.

Radix Valerianae minoris.

Valeriana officinalis LIN.

Radix Zingiberis.

Zingiber officinale ROSCÖE.

Resina Benzoë.

Styrax Benzoin DRYAND.

Resina Dammarae.

Dammara orientalis DON.

Resina Elemi.

Icica Icicariba DE CANDOLLE.

Resina flava.

Plures species Pini.

Resina Guajaci.

Guajacum officinale LIN.

Resina Jalappae.*Radicis Jalappae* quantum libet

superfunditur aqua fervida et per horas viginti maceratur. Aqua tum defunditur et radices residuae denuo eodem modo cum aqua tractantur, qua defusa illae, molles factae, frustulatim conciduntur et in aheni stanno obducto cum aqua sufficiente coquantur. Liquore iterum defuso, radices eodem modo pluries tractantur, donec decoctum totidem defusum coloris expers evadat, quo facto, radices fortiter expressae siccantur deindeque

Spiritu Vini rectificatissimo

perfusae in balneo vaporis per nycthemerum digeruntur. Operatione hae duabus vicibus repetita, radices de novo exprimuntur tincturaeque collectae commiscentur et filtratae destillantur donec duo trientes spiritus transierint. Remanens tunc in retorta residuum in patina, balneo vaporis imposita, evaporat usque dum resina sub refrigeratione fragilis fiat et friabilis, qualis tandem in vitro servatur.

Resina Mastix.

Pistacia Lentiscus LIN.

Rob Juniperi.

Baccae Juniperi maturae

contusae per unum vel alterum diem aqua macerantur in vase, foramine ad fundum instructo, per quod detractus liquor iterum baccis superfunditur similiterque transcolatur, donec hae fere insipidae fiant. Liquor colatus supra ignem lentum ad dimidias decoquitur et deinde in balneo aquae ad spissitudinem syrupi evaporat.

Saccharum album.

Saccharum officinarum LIN.

Saccharum Lactis.

Santoninum.**Sapo Amygdalinus.****Sapo medicatus.**

Carbonatis natrici depurati crystallisati partibus quattuor solutis in

Aquae destillatae partibus duodetriginta, atque simul

Calcis ustae partibus duabus et dimidia cum

Aquae partibus septem et dimidia

extinctis et in massam pultiformem commixtis, paratur *Liquor Hydratis natrici* eum omnino in modum, qui in Hydrate kalico puro parando supra descriptus fuit, atque in vase obturato prorsus limpidus factus, quam citissime ad pondus specificum 1,33 in olla ferrea cusa decoquitur.

Hujus liquoris unctiae sex. cum

Olei Amygdalarum expressi libra una

commixtae, in patina porcellana balneo vaporis imposita inter calefaciendum agitantur, dum homogenea fuerit et ad consistentiam spissiozem redaeta sit massa, quo facto in capsulas effunditur chartaceas, loco temperato seponendas. Postquam induruerit sapo, in laminas tenues dissectus et leni calore perfecte siccatus in vitro bene ocluso servatur.

Sapo hispanicus albus.**Sapo alicantinus.****Sapo jalappinus.**

Resinae Jalappae pulveratae,

Saponis amygdalini, utriusque partes aequales,

in mortario porcellano solvuntur conterendo cum

Spiritus Vini rectificatissimi quantitate sufficiente,

et solutio in patina porcellana balneo vaporis imposita sub agitatione ad spissitudinem massae pilularum evaporat. In vitro optime clauso servatur.

Sapo mollis viridis.

Sapo niger.

Secale cornutum.

Secale cereale LIN.

Semina Anisi.

Pimpinella Anisum LIN.

Semina Anisi stellati (pericarpis inclusa.)

Illicium anisatum LIN.

Semina Cacao.

Theobroma Cacao LIN.

Semina Cannabis.

Cannabis sativa LIN.

Semina Carvi.

Carum Carvi LIN.

Semina Cinae levanticae.

Plures species Artemisiae.

Semina Colchici.

Colchicum autumnale LIN.

Semina Coriandri.

Coriandrum sativum LIN.

Semina Foeniculi.

Foeniculum officinale ALLIONI, Anethum Foeniculum LIN.

Semina Lini.

Linum usitatissimum LIN.

Semina Lycopodii.

Lycopodium clavatum LIN.

Semina Petroselini.

Petroselinum sativum HOFFM., Apium Petroselinum LIN.

Semina Phellandrii.

Oenanthe Phellandrium LAM., Phellandrium aquaticum LIN.

Semina Sinapis nigrae.

Sinapis nigra LIN.

Semina Stramonii.

Datura Stramonium LIN.

Serum Lactis clarificatum.

Lactis vaccini calefacti libris tribus
instillatur solutio ex
Acidi tartarici scrupulo uno et
Aquae destillatae scrupulis octo
parata. Caseo colatione separato, sero refrigerato
admisceantur
Ovorum gallinaceorum albumina duo,

antea in spumam agitata. Mixtio ad ebullitionem calefacta et deinde refrigerata filtratur.

Ex tempore paratur.

Serum Lactis tamarindatum.

Eodem modo, quo praecedens, paratur, pro Acido tartarico tamen *Pulpa Tamarindorum depurata* adhibita, cujus vero quantitas in casu quovis speciali a medico est determinanda.

Sesquicarbonas ammonicus.

Carbonas ammonicus. Ammonium carbonicum.

Sesquicarbonas ammonicus pyroleosus.

Carbonas ammonicus pyroleosus. Sal Cornu Cervi.

Sesquicarbonatis ammonici libra una,

in mortario porcellano pulverata, conteritur cum

Olei animalis rectificati drachmis tribus

minutatim adstillatis. In vitro bene clauso non pellucido servatur.

Sevum curatum.

Siliqua Vanillae.

Vanilla aromatica SWARTZ.

Sinapismus acris.

Seminum Sinapis nigrae pulveratorum unciae sex,

Aquae quantum sufficit

miscentur, ut fiat cataplasma mollioris consistentiae.

Ex tempore paratur.

Sinapismus mitior.

Farinae Secalis uncia una,
Sinapismi acris unciae duae,
 Aquae quantum sufficit
 commiscentur, ut fiat cataplasma mollius.
 Ex tempore paratur.

Species.

Substantiae, e quibus componuntur Species vegetabiles, pro indole ejusque aut concisione aut contusione ad subtilitatem aequalem rediguntur, atque a partibus tam grandioribus quam pulverulentis cribratione purgantur.

Species ad cataplasmata grosso modo pulverantur.

Quando medicus Species in doses plures divisas praescripserit, partes cujuscunque dosis seorsim sunt ponderandae et commiscendae.

Servantur in locis siccis adversus lumen solare protectae.

Species aromaticae.

Caryophyllorum uncia una,
Florum Lavandulae unciae duae,
Herbae Melissa citrinae,
Herbae Menthae crispae, utriusque unciae quattuor,
 seorsim concisae et contusae commiscentur.

Species emollientes.

Florum Chamomillae vulgaris uncia una,
Foliorum Malvae unciae quattuor,
 incisae cum
Seminum Lini pulveratorum unciis duabus
 miscentur.

Species Guajaci compositae.**Species Lignorum.**

Radicis Liquiritiae decorticatae concisae uncia dimidia,

Radicis Chinae concisae uncia una,

Ligni Juniperi rasi unciae duae,

Ligni Guajaci rasi unciae tres

commiscentur.

Species pectorales.

Seminum Anisi stellati uncia una,

Florum Verbasci unciae quattuor,

Herbae Hyssopi,

Radicis Althaeae decorticatae,

Radicis Liquiritiae decorticatae, singularum unciae octo,

Herbae Cerefolii hispanici unciae sedecim,

incisae et contusae commiscentur.

Species pro vaporibus Chlorig.**Fumigationes Chlorig vel oxymuriaticae.**

Superoxidi manganici nativi grandiuscule pulverati pars una,

Acidi hydrochlorici venalis partes quattuor.

Seorsim dantur.

Species resolventes.

Strobilorum Lupuli libra dimidia,

Herbae Menthae crispae,

Herbae Absinthii, utriusque libra una,

incisae miscentur.

Spiritus destillati.

In Spiritibus destillatione cum substantiis vegetabilibus parandis, hae incisae eum spiritu per horas viginti quattuor

macerantur, quibus praeterlapsis, destillatio fit potissimum in balneo aquae, aut e retorta vitrea aut e vesica ahenea, stanno intus obducta et capitello atque refrigeratorio stanneis instructa.

Spiritus parati in vasis vitreis bene clausis loco frigidiusculo servantur.

Spiritus Frumenti.

Pond. specific. 0,94.

Spiritus Frumenti depuratus.

Spiritus Frumenti

Carbonibus Ligni recenter ustis deindeque contusis infunditur et cum illis per dies aliquot, agitatione interdum facta, maceratur. Deinde liquidum defusum et filtratum in vase bene clauso servatur.

Pondus specificum erit 0,94.

Spiritus Lavandulae.

Florum Lavandulae libra una et dimidia,

Aquae librae tres,

Spiritus Vini rectificati librae quattuor

post macerationem destillantur, dum transierint librae tres eum dimidia.

Spiritus Millefolii acetatus.

Spiritus aromaticus acetatus.

Aceti Vini libra una et

Spiritus Millefolii compositi librae duae

miscentur.

Spiritus Millefolii compositus.

Spiritus aromaticus vel apoplecticus.

Foliorum Rosmarini,

Herbae Thymi, utriusque libra dimidia,
Summitatum Millefolii libra una et dimidia,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae, utriusque librae octo,
 per triduum macerantur. Destillando dein eliciuntur librae
 octo.

Spiritus Rosmarini.

Foliorum Rosmarini librae duae,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae, utriusque librae quattuor,
 destillantur dum transierint librae quattuor.

Spiritus Vini alcoholisatus.

Spiritus Vini rectificatissimi partes sedecim
 in vase vitreo bene obturato cum
Carbonatis kalici venalis nuper igniti parte una
 probe conquassantur. Quando ad fundum vasis solutio al-
 kalina resederit, spiritus innatans defunditur et cum novis
Carbonatis kalici igniti portionibus eodem modo tractatur
 donec hae non amplius inde humescant. Spiritus dein de-
 fusus in retorta vitrea supra
Chlorete calcici nuper fusi et nondum refrigerati partes duas
 rectificatur, balneo aquae destillando dum duo fere trien-
 tes transierint et destillatum ponderis sit specifici 0,80.

Spiritus Vini camphoratus.

Camphorae depuratae uncia una
 solvitur in
Spiritus Vini rectificati unciis sedecim.

Spiritus Vini gallicus.

Pond. specific. 0,89.

Spiritus Vini rectificatissimus.

Spiritus Vini rectificatus, cum
Carbonate kalico venali,

modo ad Spiritum Vini alcoholisatum descripto, tractatus, e vesica destillatoria aënea, capitulo et refrigeratorio stanneis vel cupreis stanno obductis instructa, destillatur ita ut pondus specificum destillati sit 0,83.

Spiritus Vini rectificatus.

Spiritus Frumenti depuratus

uti praecedens, Carbonate tamen kalico non adhibito, destillatur, liquoris vero eliciti pondus specificum erit 0,89.

Spongia cerata.

Spongia marina tenuis siccata et ab arenulis purgata immergitur in *Ceram flavam* liquefactam, et deinde fortiter expressa ac refrigerata servatur.

Spongia marina.

Spongia officinalis LIN.

Stibium metallicum.**Stigmata Croci orientalis.**

Crocus sativus LIN.

Stipites Dulcamarae.

Solanum Dulcamara LIN.

Strobili Lupuli.

Humulus Lupulus LIN.

Strychnium.

Subacetas cupricus venalis.**Aerugo.****Subnitras bismuthicus.****Magisterium Bismuthi.**

Cucurbitae vitreae, ita ut ad dimidium repleatur, infunditur quantitas ponderata

Acidi nitrici diluti,

cui singulatim immittuntur frustula

Bismuthi,

cavendo ne, antequam prius dissolutum fuerit, novum addatur. Quando vis acidi cessaverit, cucurbita in balneo arenae calido collocatur et immissio metalli, eodem omnino modo peracta, continuatur, donec istud non amplius dissolvatur. Solutio, coloris saepissime flavido-viridis, cum dimidio sui ponderis

Aquae communis

diluta filtratur et sub agitatione continua in copiam

Aquae communis

pondere quantitatem acidi nitrici adhibiti sedecies superantem infunditur. Sedimento albo deposito, liquor acidus decanthatur, et illud in filtro exceptum cum

Aquae destillatae tanto pondere,

quanto post dilutionem fuit solutio ipsa metallica, abluitur atque leni calore super charta bibula siccata in vitro bene clauso servatur.

Nota. Si bismuthum arsenico inquinatum fuerit (*quod semper antea ope tubi ferruminatorii est examinandum*), solutio metallica cum solutione aquosa Hydratis kalici venalis excedente coquenda est. Oxidum bismuthicum flavum dejectum, aqua destillata probe elutum, deinde in Acido nitrico

diluto dissolvitur et solutio, ut supra praescriptum fuit, in aquam fusa praecipitatur.

Subsulphas chinicus.

Sulphas chinicus.

Succus Liquiritiae calabricus.

Succus Liquiritiae depuratus.

Extractum Liquiritiae.

Succus Liquiritiae calabricus in baculis, stratis stramineis interpositis, in vase, quale ad Rob Juniperi parandum adhibetur, aqua frigida perfusus per horas viginti quattuor maceratur, et solutione per foramen emissa, maceratio eodem modo, quamdiu aliquid solvitur, cum nova quantitate aquae iteratur. Liquores deinde per pannum laneum colati in balneo aquae ad spissitudinem extracti evaporant. In loco sicco et frigidiusculo servatur.

Succus Oxycocci.

Oxycoccus palustris PERS. *Vaccinium Oxycoccos* LIN.

Sulphas aluminico-kalicus crudus.

Alumen crudum.

Sulphas aluminico-kalicus depuratus.

Alumen depuratum.

Sulphatis aluminico-kalici crudi grandiuscule pulverati pars una, in patina porellana

Aquae destillatae partibus duabus perfusa, ope caloris solvitur. Solutio adhuc calida filtrata loco subfrigido ad crystallisandum seponitur. Crystalli col-

lectae aqua destillata abluuntur et siccatae in vitro clauso servantur.

Nota. Si prima vice sal a ferro depuratus non fuerit, repetenda est crystallisatio, dum purae obtineantur crystalli.

Sulphas aluminico-kalicus ustus.

Alumen ustum.

Sulphas aluminico-kalicus depuratus

minutim contusus in olla ferrea ita capace, ut ad trientem tantummodo inde repleatur, calore sensim augendo calcinatur donec fere totus conversus sit in massam levem, spongiosam, quae, a partibus durioribus et solidis forsitan restantibus separata, in vase bene clauso servatur.

Sulphas atropicus.

Sulphas calcicus natus.

Gypsum.

Sulphas cupricus purus.

Cupri unctiae sex

comminutae in cucurbita vitrea perfunduntur

Acidi sulphurici puri unctiis decem et

Aquae destillatae libris tribus

antea commixtis, quibus insuper adduntur

Acidi nitrici concentrati unctiae quattuor cum dimidia.

His in balneo arenae, sensim calefaciendo quamdiu cuprum dissolvitur, digestis, liquor calidus filtratus ad crystallisandum seponitur. Crystalli de lixivio, quod evaporando ad crystallisationem iteratam redigitur, demtae et ad ordinariam aëris temperaturam siccatae in vitro clauso servantur.

Sulphas cupricus venalis.**Vitriolum Cupri vel de Cypro.****Sulphas ferrosus.****Vitriolum Martis.***Ferri* comminuti unciæ sex

in cucurbita vitrea perfunduntur mixtione

Acidi sulphurici puri unciarum novem, et*Aquæ destillatæ* librarum trium.

Evolutione gasis hydrogenii subsidente, cucurbita in balneo arenae fovetur usque dum ista omnino cessaverit, deindeque liquor adhuc calidus per filtrum,

Acidi sulphurici puri drachma una et dimidia atque*Aquæ destillatæ* unciæ una

commixtis humectatum, ita trajicitur, ut in lagenam stillet, quæ Spiritum Vini rectificatissimum, in duplo circiter solutionis volumine, continet. His concussione bene permixtis, sal desidens filtro colligitur et Spiritu Vini rectificatissimo ablutum ad ordinariam aëris temperaturam inter plagulas chartæ bibulæ sæpius mutatas siccatur. In vase vitreo optime clauso servatur.

Sulphas kalicus depuratus.*Sulphatis kalici venalis* pars una

solvitur in

Aquæ destillatæ ferventis partibus sex

et solutio filtrata ad crystallisandum loco frigidiore seponitur. Crystalli aqua destillata frigida ablutæ siccantur et in vase clauso servantur.

Sulphas kalicus venalis.**Tartarus vitriolatus.**

Sulphas magnesticus depuratus.*Sulphas magnesticus venalis*

solvitur in

Aquae destillatae ferventis pari pondere, et solutio fervida filtrata ad crystallisandum seponitur. Crystalli a lixivio separatae et ad ordinariam aëris temperaturam siccatae in vase clauso servantur.

Sulphas magnesticus venalis.**Sal anglicum.****Sulphas natricus depuratus.**

E *Sulphate natrico venali* eodem modo, quo Sulphas magnesticus depuratus, paratur et similiter servatur.

Sulphas natricus venalis.**Sal Glauberi.****Sulphas zincicus.****Vitriolum album vel Zinci.**

Zinci in frustula minora comminuti libra una

in cucurbita perfunditur

Acidi sulphurici puri unciis sedecim,*Aquae destillatae* libris sex atque unciis octo

prius dilutis. Cucurbita, saepius agitata donec segnior fuerit evolutio gasis, seponitur et deinde in balneo arenae per nycthemerum, postquam haec cessaverit, calore digestionis fovetur. Tum solutio filtrata gase Chlori inducto saturatur et, quando odorem hujusce fortem exhalat, quieti horarum quattuor et viginti traditur. Post haec eidem instillatur solutio concentrata

Carbonatis natrici depurati

in aqua destillata, donec praecipitatum inde generatum non amplius per agitationem dissolvatur, mixtioque digeritur, usque dum portiuncula liquoris, per filtrum trajecta, cum Cyaneto ferroso-kalico praecipitatum non efficiat coeruleum. Si vero in digestionem haec sedimentum primo dejectum totum rursus solutum fuerit vel colorem duxerit atro-fuscum, plus carbonatis natrici additur et digestio continuatur. Liqueore deinde filtrato, limpido, inter coquendum affunditur solutio

Carbonatis natrici depurati

in aqua destillata, donec alkalinus ille evaserit. Praecipitatum inde ortum, in filtro collectum, aqua destillata probe eluitur atque in sufficiente quantitate mixtionis ex

Acidi sulphurici puri parte una et

Aquae destillatae partibus quattuor

paratae dissolvitur. Solutio filtrata ad crystallisationem evaporat, et crystalli inter chartam bibulam ad ordinariam aëris temperaturam siccatae in vitro bene clauso servantur.

Sulphidum stibicum.

Sulphur auratum Antimonii.

Carbonatis natrici depurati crystallisati libris quattuor et dimidia, in

Aquae destillatae libris viginti

solutis et filtratis atque in olla ferrea nitide mundata ad ebullitionem calefactis, minutatim continua sub coctione adduntur

Calcis ustae librae duae,

